ut neque obſtare regulam de jure tertii quæſito non tollen. juxta deciſ. Seraph. 1445. cum aliis ſuprà, *in Romana juriſdictionis, ſeu tituli Cardinalitii, hoc eod. tit. diſcur.* 34. ac etiam *hoc eodem libro, ſub tit. de præemmentiis in Meſſanen. diſc.* 9. & in aliis; Nihilominus id procedit quoad expreſſa & incompatibilia ad evitandam contradictionem & repugnantiam, ſecus autem in non expreſſis & compatibilibus, unde cum dicta Conſtitutio, de Principibus ſæcularibus, ac foro laicali non loquatur, nullaque dignoſci videatur incompatibilitas, idcircò dictæ clauſulæ conſueta operatio tribuenda eſt, potiſſimum verò pro interpretatione voluntatis, aliis etiam rationibus ut ſupra ponderatis inſimul unitis cum regula, ut ſingula quæ non proſunt &c.

Quare examinando articulum in puris terminis juris com-
7 munis, occaſione militiarum S. Jacobi de Spata, de Calatrava, & de Alcantara. Diſputant DD. an iſtæ ſint veræ Religiones, earumque milites, & profeſſores veri religioſi; Et quatuor habentur diverſæ opiniones, quas, earumque ſe-
8 quaces diſtinctè recenſet Carl. *de jud. tom.* 1. *d.* 2. *ex n.* 413. qui forte omnium latius de his militiis agit, & relativè ad eum Urſin. *de ſuc. feud. p.* 1. *q.* 9. *art.* 4. *nu.* 6. occaſione agendi de iſtorum militum capacitate in ſucceſſione feudorum, de qua obiter occaſione agendi de capacitate ejuſdem ſucceſſionis militum S. Joannis Hieroſolymitani habetur actum *in Venuſina ſucceſſionis, ſub tit. de feud. diſc.* 16. & ad ſatietatem colligit Cortiada *dec. Aragon.* 6. *ex n.* 61. *cum ſeq.*

Quamvis autem apud Morales, ac aliquos modernos Canoniſtas, magis communiter recepta videatur opinio affirmativa, ut profeſſores dictarum trium militiarum habendi ſint pro veris Religioſis, ut cæteris allegatis habetur apud Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 12. *n. fin.* Sperel. *dec.* 2. *n.* 144. *& ſeq.* Carleval. *loco citato, numer.* 415. quibus annecti poſſunt Novar. & cæteri, ut infrà idem dicentes in fortioribus terminis hujus militiæ S. Stephani.

Nihilominus, ex communi ſenſu antiquorum Canoniſtarum, ac etiam Moralium, excepta militia S. Joannis Hieroſolymitani; quam indubitatum eſt eſſe veram Religionem, omnino verior, magiſque recepta eſt opinio, quam tenet Rota & Curia Romana in contrarium, ut apud Seraph. *dec.* 587. Cæſar. de Graſſ. *dec.* 1. *de probat.* Duran. *dec.* 95. *&* 308. quarum ſecunda eſt repetita apud Poſth. *de manut. dec.* 326. Romana dotis 11. Febr. 1647. coram Bichio, quæ omnes deciſiones loquuntur de dictis tribus militiis S. Jacobi de Spata, de Calatrava & Alcantara.

Et de militia Sanctorum Mauritii & Lazari, quod non ſit vera Religio, minuſque ejus profeſſores Religioſi, ſeu Regulares Rota in Veronen. penſionis 23. Febr. 1600. coram Lancell. in qua ſupponitur hujus militiæ profeſſores emittere formiter vota ſolemnia, eodem modo quo illi dictarum aliarum trium militiarum.

Et in individuo hujus militiæ S. Stephani apud Seraphin. *dec.* 122. *repetit. dec.* 591. *p.* 1. *diverſ.* & in voto trium Rotæ Auditorum regiſtrato *dec.* 228. *p.* 3. *rec.* cum quibus pertranſeunt Garz. *de Benef. p.* 1. *cap.* 4. *n.* 17. *& ſeq.* & cæteri Beneficialiſtæ communiter, dictaque deciſio Seraph. ac votum habentur in eodem volumine Statutorum iſtius militiæ, ubi etiam de aliis declarationibus in idem tendentibus; Unde liquet ab ipſamet Religione expediens reputatum fuiſſe excludere qualitatem regularem, ac veræ Religionis, & cum quo ſenſu etiam hodie per ipſius officiales, & adminiſtratores proceditur, ut etiam infrà inſinuatum habetur relativè ad cauſam in Piſana Prioratus de Grifonibus, de qua *ſub tit. de Jurepatr.*

Verùm quia in ſuprà allegatis deciſionibus, præſertim verò in d. Romana dotis 11. Febr. 1647. cor. Bichio, & apud
9 Duranum *d. dec.* 95. *&* 308. in quibus de dictis militiis Hiſpaniæ, & in d. Veronen. cor. Lancell. in qua de altera Sanctorum Mauritii, & Lazari, quamvis excludatur qualitas religioſa, ſeu regularis, admittitur tamen, ac ſupponitur qualitas Eccleſiaſtica, quam admittunt etiam Garz. & cæteri dictam qualitatem Regularem negantes, quod ſcil. hujuſmodi profeſſores ſint perſonæ Eccleſiaſticæ à foro laicali exemptæ, idcircò in propoſito nullius operationis remanet dicta inſpectio, ſuper qualitate regulari, ſeu religioſa, cum ad effectum præſentis controverſiæ, ſufficeret dicta qualitas Eccleſiaſtica, ad quam reſtringitur difficultas.

Quidquid autem ſit quoad hujuſmodi qualitatem reſpectu dictarum militiarum, de quibus loquuntur præfatæ deciſio-
10 nes & authoritates, ac aliæ apud Carleval. Novar. & Sperel. ut ſuprà, illa tamen dicebam non ita locum habere in iſta militia ex pluribus differentiæ rationibus, ex quibus non benè à dictis aliis militiis ad iſtam infertur.

Primò, quia dictis militiis, S. Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, ſupponitur, expreſsè & ſpecialiter conceſſa fuiſſe indulta Apoſtolica ſuper exemptione fori laicalis, præſertim per Alexandrum, Lucium, Urbanum, & Innocentium reſpectivè tertium, Gregorium IX. Martinum V. Leo- 11
nem X. Pium V. Clementem VIII. & Paulum V. ut per Didacum de la Motta *de confraternitate ordinum Divi Jacobi, lib.* 1. *c.* 4. *§.* 2. 6, 7. 29. *&* 35. *& alibi*, Barboſ. *de Epiſcopo, d. alleg.* 12. *n.* 45. Sperell. *d. dec.* 2. de Marin. *reſol.* 44. *lib.* 1. Carleval. *d. diſput.* 2. *n.* 420. *&* 425. *cum ſeq.* Formoſin. *de judiciis & foro compet. tom.* 1. *ad text. in cap.* 2. *eod. tit. de foro compet. q.* 16. Novar. *de elect. fori* 2. *part.* 2. *q.* 69. Maſtril. *dec.* 290. ubi regiſtrantur litteræ Regiæ continentes indulta Clement. VIII. & Pauli V. Unde quicquid ſit dictorum de indultorum obſervantia & executione, quæ neque eſt uniformis, ut infrà, illa non habentur in ſpecie per iſtam militiam, quoniam tam in dictis Conſtitutionibus Pii IV. quam in aliis Pii, Sixti, & Pauli reſpectivè Quinti, de iſta militia S. Stephani loquentibus, eique plura privilegia concedentibus, nullum verbum habetur de exemptione fori laicalis, quam in dictis aliis militiis, multi ex ſupra allegatis in hujuſmodi indultis fundant.

Secundò, quia licet etiam dictæ aliæ militiæ, juxta opinionem, quam ut ſuprà ſequitur Rota, & quæ in puncto juris omninò verior cenſenda videtur, non ſint veræ & propriæ Religiones. Nihilominus in illis, ad Religionum inſtar ſervatur diſpoſitio, tam juris communis, quam Sacr. 12
Concil. Trident. circa annum probationis, ac circa ætatem ab eodem Concilio ad profeſſionem præſcriptam, ut cæteris allegatis teſtatur Sperel. *d. dec.* 2. *n.* 52. Et tanquam abſolutum ſupponit Carlev. in materia verſatiſſimus, dum ex *n.* 439. plenè tractat quæſtionem, an idem fori privilegium competat Novitiis.

E converſo autem in hac militia dicta juris communis, vel Concilii diſpoſitio, tam circa ætatem, quàm circa annum probationis non attenditur, Seraph. *d. dec.* 121. *& d. dec.* 228. *p.* 3. *rec.* quæ ſunt etiam impreſſæ in libro ſtatutorum ejuſdem Religionis.

Tertiò, quia dictæ tres militiæ Hiſpaniarum, in ſua primæva origine, cum longæva obſervantia, habebant proprium Generalem, ſeu M. Magiſtrum, alioſque Prælatos & 13
Superiores, per electionem ſibi conſtitutos de eodem ordine reſpectivè, abſque aliqua nationum, vel perſonarum differentia, eodem modo quo practicatur in militia S. Joann. Hieroſolymitani, unde propterea non intrat illa potiſſima ratio inconvenientis, ſeu præjudicii aliis Principibus reſultantis, quod aliquis Princeps laicus, ſub hoc pio prætextu ſibi aſſumat poteſtatem in alienis Principatibus & ditionibus exercendi privativam juriſdictionem in eos, qui ratione originis, vel domicilii ſunt aliorum Principum ſubditi, ac verè & de facto in propriis domibus, cum uxoribus, & filiis, & vivunt more aliorum ſæcularium, in nihilo ab iſtis differentes.

Non ſic eſt in iſta militia, quæ ab ipſo erectionis initio nata eſt ſubdita invariabiliter unius Principis ſæcularis, qui fortè, ad inſtar illarum militiarum, quas cæteri Principes in eorum ditionibus erexerunt, ut ſunt, ex. gr. illa Aurei velleris in Hiſpania, & Spiritus Sancti in Gallia, cum ſimilibus, hanc militiæ ſpeciem in propria ditione erigere voluit, undè intrant de plano abſurda per DD. in propoſito conſiderata, non quidem, ut ſupra dictum eſt, in ordine ad poteſtatem Papæ imprimendi etiam in alienis ſubditis aliquam qualitatem Eccleſiaſticam, ex qua de conſequenti exemptio fori laicalis proveniat, tanquam dictæ qualitatis effectus, 14
ex collectis per Sperell. *d. dec.* 2. *num.* 111. *cum ſeq.* Carlev. *d. diſput.* 2. *num.* 427. (quam inſpectionem utpotè non neceſſariam aſſumere, & formiter examinare neglexi,) ſed ſolum, ut ſuprà dictum fuit, ad regulandam ejuſdem Pontificis voluntatem.

Et quamvis præfatæ tres militiæ, per Alex. VI. in perpetuum eſſent commendatæ Regi Hiſpaniarum pro tempore, quo ita natus eſt earum profeſſor, & perpetuus M. Magiſter, hujuſmodi militias adminiſtrans per quoddam particulare Conſilium *ordinum* nuncupatum, quod tanquam ſpecies definitorii, conſtitutum eſt ex eorundem ordinum profeſſoribus, ex iis, quæ habentur in Toletana de Veles *ſub tit. de Regularib.* Attamen id non immutat ipſarum militiarum ſubſtantiam, ſeu naturam ab earum erectione impreſſam, neque tollit ſtatum jam legitimè firmatum. Ad inſtar monaſteriorum & Beneficiorum Regularium, quæ dantur in commendam clericis ſæcularibus; Seu ad inſtar Epiſcopatuum, qui dantur in commendam, ſeu adminiſtrationem perſo-

perſonis in ordine Epiſcopali non conſtitutis, cum ſimilibus; quoniam eſt accidens circa ſolam adminiſtrationem unius Prælaturæ, reliquis omnibus Prælaturis, & officiis in ſuo primævo ſtatu continuantibus.

15 Quarto fortiſſimè, quia in dictis aliis militiis, prævio anno probationis ut ſupra, fit ſolemnis profeſſio, cum formali emiſſione votorum obligantium, nedum ad peccatum juxta voti naturam, ſed etiam ad ſacrilegium, apoſtaſiam, & alia ex hujuſmodi ſolemnium votorum violatione reſultantia, ex collectis apud eundem Sperel. *d. dec.* 2. *n.* 55. *& ſeqq.* Quinimò in iſtis militiis emittebatur formale votum continentiæ, quo moderno tempore ex Apoſtolica diſpenſatione conceſſa per Paulum III. commutatum fuit in caſtitatem conjugalem, ut de militia Alcantaræ habetur apud Rot. *dec.* 266. *n.* 6. *p.* 2. *diverſ.* & generaliter de omnibus Maſtril. *d. dec.* 290. *n.* 129. *cum ſeq.*

Non ſic eſt in iſta militia, in qua, nullo prævio formali novitiatu, non emittuntur formalia, & ſolemnia vota, ſed ſolum fit quædam ſolemnitas ſuſceptionis habitus, cum aliquibus promiſſionibus ſuper virtutum, & ſtabilimentorum obſervantia, non habentibus formam voti, neque obligantibus ad peccatum, ut expreſsè diſponitur in dicta Conſtitutione 60. Pii IV. §. 5. & benè ponderatur *in d. voto, ſeu dec.* 228. *p.* 3. *rec.* ubi habetur quod etiam canonici ſæculares in ingreſſu aliquas promiſſiones facere ſolent. Quod in propoſito militum devotionis S. Joannis Hieroſolymitani, benè ponderatur per Rot. in Fulginaten. hæreditatis coram Veroſpio *dec.* 15. *part.* 11. *recent. repetita poſt reſol.* Dianæ *part.* 10. ubi adducitur exemplum Monaſterii Turris ſpeculorum Urbis, in quo illæ Oblatæ in actu ſuſceptionis habitus, ſeu in quadam alia ſolemnitate, quæ vulgò dicitur profeſſio, plures faciunt promiſſiones, & quidem ſuper obſervantia ſtrictiſſimi ac ſatis rigoroſi inſtituti, & tamen ſunt ſimplices Oblatæ, non autem profeſſæ ex deductis per Cyriac. *controv.* 504. ac habetur de illis actum *ſub tit. de ſucceſſionib. & alibi.* Eædemque promiſſiones fieri ſolent in dictis aliis militiis merè ſæcularibus, aurei velleris, & Spiritus Sancti, cum ſimilibus, quia, ut dictum eſt, non ſunt vota, ſed promiſſiones ſimplices, quas etiam faciunt illæ Canoniſſæ Germaniæ, de quibus apud Lotter. *de Benef. lib.* 1. *q.* 19. *n.* 15. quæ tamen ſunt ſæculares cum ſimilibus.

Et Nihilominus, etiam in dictis tribus militiis, S. Jaco-
16 bi, de Alcantara, & de Calatrava, in quibus tot circumſtantiæ ac differentiæ rationes concurrunt ut ſuprà, adhuc receptum eſt, circa forum deferri obſervantiæ, quæ in eademmet Hiſpania eſt diverſa, juxta ſingulorum Regnorum, ſeu Provinciarum mores, ſeu cauſarum qualitates, ut teſtatur Larrea, *alleg.* 64. Cortiada *d. dec. Aragon.* 8. *num.* 98. *cum ſeq.* ubi refert etiam in ipſamet Hiſpania diverſas illorum Regnorum conſuetudines & Carlev. *ubi ſup. num.* 454. *in fin. qui num.* 438. idem teſtatur de obſervantia Regni Neapolitani, ob non receptas, ſeu non exequutoriatas literas Regias continentes Apoſtolicas Conſtitutiones Clem. VIII. & Pauli V. Et in Regno Siciliæ ultrà id ſervari, quia dictæ literæ fuerunt exequutoriæ, teſtatur Carol. de Graſſ. *de effectu clericat.* 1. *num.* 115. ubi tamen de contraria obſervantia militum Sanctorum Mauritii & Lazari, ac iſtorum S. Stephani, qui pariter in hoc Regno Siciliæ citrà, jure merè ſæcularium ſine dubio tractatur; Ideoque cum in præſenti, certa ſupponeretur obſervantia, etiam nativa, & ab ipſamet erectione, per ſæculum & ultrà continuata, dicebam videri eſſe in caſu indubitabili, quoniam ſi illa ſufficit, & attenditur in dictis aliis militiis adeò majores circumſtantias habentibus, multò magis in præſenti de ſtatu ſæculari magis participante ut ſuprà.

Ea etiam ſatis notabili circumſtantia circa hujuſmodi obſervantiam ponderata, reſultante à nimia vicinitate, & adjacentia iſtius Principatus, ſeu ditionis cum Civitate Piſana, ubi eſt hujus Militiæ ſedes Metropolitica, & reſident ejus Officiales majores, itaut omninò certa, & inexcuſabilis videatur ſcientia, & patientia, magis quàm in aliis remotioribus ditionibus; Et multò magis ubi ſubſiſteret facti præſuppoſitum, quod quandoque ipſemet M. Magiſter, vel ejus primi miniſtri, literas iſtorum militum commendatitias Magiſtratibus ſæcularibus ſcripſerunt, ita enim omnis difficultas ceſſare videbatur.

Poſito enim quod, ob inſtituti pietatem, atque ob Sedis Apoſtolicæ authoritatem, & approbationem, hujuſmodi profeſſores in aliquo differant à merè ſæcularibus, itaut largè, & impropriè dici valeant perſonæ Eccleſiaſticæ, ad inſtar
17 antiquorum militum, Gaudentium, Hoſpitalariorum, Tem-

plariorum, & ſimilium, de quibus loquuntur Bart. *in l. ſemper, §. quibuſdam, ff. de jur. immun. Speculator. tit. de Statu monachorum, q.* 36. Abb. *in rubr. de Regular. n.* 4. *& in c.* 2. *de foro competenti, num.* 11. Soccin. *conſ.* 13. *lib.* 1. benè Cæſ. de Graſſ. *dec.* 1. *de probat. n.* 18. & cæteri per Maſtrill. Sperell. Carleval. & alios ubi ſuprà. Nihilominus cum non ſint veri Clerici, ſeu Religioſi, quo caſu, ob omnimodam incompetentiam, ſeu incapacitatem intrat inſpectio cujuſcumque contrariæ conſuetudinis, vel præſcriptionis adverſus Eccleſiaſticam immunitatem, utpotè juxta unam opinionem probabiliorem, à jure divino manantem, negari non poteſt caſum eſſe ambiguum, in quo proinde deferendum ſit dictæ obſervantiæ.

Dictaque obſervantia fortiùs attendenda eſt ob duplicem 18
circumſtantiam; Primò ſcil. quod non eſt modici temporis, quod etiam ſufficiens reputatur ad interpretativam, ſed eſt annor. 100. & ultrà, undè ſufficit ad quamcumque privilegiativam præſcriptionem, ſeu melius ad probationem cujuſcumque tituli de mundo melioris, & ſic etiam declarationis Apoſtolicæ; Et ſecundò quod non agitur de præſcritione, ſeu conſuetudine dativa, tollente ſcil. jus jam poſſeſſum & quæſitum, ſed de nativa, ideſt ſe opponente principio acquiſitionis, ac impediente uſum, & executionem dicti indulti Apoſtolici, eodem modo quo in fortioribus terminis indultorum dictarum aliarum Religionum, expreſſe continentium exemptionem fori, ob non uſum, ſeu non receptionem ab initio, cum ſucceſſiva longiſſima obſervantia, habetur apud allegatos loquentes de utriuſque Siciliæ Regnis & aliis ditionibus.

Et ſic ea, quæ per ſcribentes in materia dicuntur, ut in 19
aliquo deferendum ſit Apoſtolicæ authoritati, cum qua hujuſmodi militiæ erectio facta eſt, ac etiam pietati inſtituti, utpote ſimilitudinarii illius militiæ S. Joannis Hieroſolymitani, rectè procedere dicebam, vel in caſu quo res eſſet integra & recens, itaut dicta contraria obſervantia non obſtaret. Vel ubi è converſo obſervantia aſſiſteret, ut ſupponitur aſſiſtere in Statu Eccleſiaſtico, in quo tamen non multum ſuper hujuſmodi exemptionibus inſiſtitur, utpote in effectu ferè inanibus, ob utrumque gladium, quem idem Princeps habet in manibus, dum Papa in hac ditione, eſt Pontifex, & Rex, cum poteſtate puniendi, tam laicos, quàm Eccleſiaſticos, & exemptos, unde propterea nil refert, an id agat per unum & alterum ex ejus miniſtris.

Atque ita dicebam reſponderi ad aliquas declarationes S. Cong. immunitatis quæ circumferuntur occaſione exemptionis iſtorum militum à collectis & oneribus laicalibus in una Urbevetana & in una Novarien. ſeu alia, & quæ deducebantur etiam in Romana liberationis à moleſtiis diſputata in Rota, & de qua *ſub tit. de credito* ſuper quæſtione, an hujuſmodi milites S. Stephani gauderent beneficio, *cap. Odoardi de ſolutionibus*, cum dictæ declarationes percutiant, vel caſus contingentes in Statu Eccleſiaſtico, vel cum præſuppoſito obſervantiæ, ſecus autem ubi iſta per ſæculum & ultra, & ab ipſo initio eſt in contrarium, cum obſervantiæ in propoſito omninò deferendum videatur, ut ſuprà.

Hinc proinde dicebam, nullatenus curandum eſſe de iis, quæ tumultuario ſtudio, ut ipſemet teſtatur, & cum ſatis debilibus fundamentis dixit Navarr. *conſ.* 10. *de Regular. lib.* 3. 20
juxta unam impreſſionem, alias *conſ.* 23. quod iſti milites eſſent veri Religioſi, dum ex pręmiſſis hoc dictum manifeſtè convincitur erroneum; Prout. & nullam rationem habendam eſſe de conſideratione comparationis, quam faciunt Novar. *de elect. fori dicta q.* 69. *num.* 31. Barboſ. *de Epiſcopo, d. alleg.* 12. *num.* 45. Caball. *tract. criminal. caſu* 225. *num.* 15. *& ſeq.* & alii de iſta militia, cum pręfatis, Sancti Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, ob tot notabiles differentias ab eis non conſideratas, potiſſimè verò, nullatenus deferendum eſſe Caballo, utpotè hujus militię, vel ejus M. Magiſtri ſtipendiario, ad ſolam opportunitatem non autem ad veritatem ſcribenti, & ſic teſti ſuſpecto, ut etiam dici poteſt de Anſaldo, & ſimilibus, ejuſdem militię miniſtris, ſeu ſtipendiariis.

Et his ſtantibus, reſpondendo pro exemptionis excluſione, pręſertim ex motivo obſervantię ut ſuprà, inanem cenſui alteram quęſtionem particularem, an ſcil. poſita etiam exemptione, adhuc tamen quoad validitatem proceſſus & condemnationis obſtaret non oppoſita declinatoria, ut credit Marta *de juriſdictione, part.* 4. *centur.* 2. *caſu* 123. *numer.*
34. *cum ſequentib.* Quando autem de hoc puncto agendum 21
eſſet, tunc poſita exemptione, probabilius pro nullitate geſtorum reſpondendum eſſe dixi, non quidem ex Authoritate Anſaldi acriter impugnãtis Martam ubi ſupra in ejus tractatu *de ju-*

de juriſdict. p. 12. tit. 10. c. 15. num. 115. cum ſeq. cum ut ſuprà, hic ſit teſtis iuſpectus in his materiis modica fide dignus, utpote miniſter, ſeu ſtipendiarius, ſed ex ratione generali text. *in cap. cum contingat, de foro compet.* quod ſcilicet exemptio reſpicit favorem & privilegium totius Ordinis, ejuſque M. Magiſtri, & Prælatorum, ideoque, ſi etiam expreſſus conſenſus ſubditi, non attenditur in præjudicium ſuperioris & ordinis, multò minus tacitus reſultans ex non oppoſita fori declinatoria, ut in terminis militum Sancti Jacobi, Creſcent. *deciſ. 3. de foro comdæt.* refert & ſequitur de Marin. *d. reſ. 44. num. 14. lib. 1.*

Ad plures autem annos poſt datum hoc reſponſum, occaſione ſcribendi in Piſana Prioratus, ſeu Commendæ de Gri-
22 ſonibus, *de quo ſub tit. de Jurepatr.* magis me confirmavi in hac opinione, quod ſcil. hæc Militia nedum ex defectu novitiatus, & profeſſionis, abſque formali emiſſione votorum, dici non poſſet Religio; etiamſi tenenda eſſet opinio Moralium id affirmantium in dictis aliis militiis S. Jacobi, de Calatrava, & de Alcantara, unde potius dicendum veniat pium inſtitutum ſæcularium.

Sed quod neque dici valeat verè & propriè militia Eccleſiaſtica, dum per ejus Statuta, ita ab ejus Prælatis & adminiſtratoribus interpretata, profitetur illas commendas more primogeniorum, & fideicommiſſorum ſæcularium potius, quam more beneficiorum, ſeu Commendarum Eccleſiaſticarum regulare, etiam ubi non proveniunt ex ſola fundatione privata & temporali, ſed ubi qualitas Eccleſiaſtica per veritatem quoque concurrit, vel in totum, vel in præponderanti, ut in dicta Piſan. unde propterea hujuſmodi prætenſiones videntur incompatibiles, niſi dicatur, qualitatem Eccleſiaſticam attendi ſolum debere in eo quod expedit ex deductis
23 in eadem Piſana, cum aliis quæ habentur in d. Romana liberationis à moleſtiis, *ſub tit. de credito*, ubi de ſuprà inſinuato articulo, an hujuſmodi milites gaudeant beneficio deducto ne egeat, quod ibi probabilius credidi competere ex qualitate militari potius quàm ex altera Eccleſiaſtica, ſeu clericatus.

ANNOT. AD DISC. XCII.

DE Religionibus militaribus, & quando ſint verè tales, earumque profeſſores veri Religioſi, præſerim circa neceſſitatem Novitiatus, alioſque effectus *ſub tit. de Regularibus, diſc. 46. & 49. & 50. & in annot. ad Conc. Trid. diſc. 13. & 39. & tit. de Regal. diſc. 84.*

VOLATERRANA HABITUS PRO N. DOCTORE.

Reſponſum extra Curiam.

An Epiſcopus juriſdictionem, ſeu poteſtatem habeat prohibendi uſum veſtium talarium, quibus clerici uti ſolent, ſæcularibus Doctoribus, illa geſtare profitentibus tanquam togam Doctoralem.

S U M M A R I U M.

1 *Caſus controverſiæ.*
2 *Epiſcopus prohibere poteſt laicis, ne habitum & tonſuram clericalem deferant.*
3 *In jure cautum non eſt, qualis ſit veſtis clericorum.*
4 *Clerici non poſſunt uti veſte nimis longa, neque nimis brevi.*
5 *Toga quid ſit.*
6 *Doctores habent uſum togæ.*
7 *De introductione veſtis longæ in clericis.*
8 *An prohiberi poſſit aſſumptio nominis, inſignium, vel veſtium alicujus.*
9 *De obſervantia Curiæ Romanæ circa uſum togæ.*
10 *Declarantur præmiſſa circa uſum togæ ex contraria conſuetudine.*
11 *Et ubi generaret ſcandalum.*
12 *Ad Epiſcopum pertinet declarare, quis ſit habitus clericalis, & quis regularis.*

D I S C. XCIII.

1 CUm N. Civitatis Volaterranæ, in Urbe theoricæ & praxis forenſis ſtudiis per aliquos annos operam dediſſet, ibique, vel alibi lauream doctoratus ſuſcepiſſet, atque regrediens ad patriam, continuaret eumdem uſum veſtium talarium, quem in Urbe habent omnes Doctores ac literarum profeſſores; cum delatione etiam comæ; Epiſcopus illi præcepit, quod vel tonſa coma jure aliorum clericorum viveret, quia fortè primam tonſuram alias ſuſceperat, vel uſum veſtium clericalium dimitteret, iſque declaraſſet ſe eſſe laicum, non autem clericum, illas autem veſtes ita geſtare tanquam togam doctoralem; Hinc proinde exorta controverſia, circa ſuſceptæ Advocationis initia, ex parte præfati Doctoris requiſitus fui ad ſcribendum pro hujuſmodi ejus prætenſione ſubſtinenda.

Quare ſcribens tanquam Advocatus ad requirentis opportunitatem dicebam, quod quamvis Epiſcopo liceat prohibe- 2
re laicis, ne habitu, & tonſura clericali utantur, ad text. *in cap. unico de bigamis in 6.* ubi Gemin. & Franch. *uterque, n. 3.* Genuen. *in praxi Archiep. Neap. c. 55. num. 3.* idque non ſolùm copulativè, quia nempè laicus habitum & tonſuram clericalem deferat, ſed etiam alternativè ſi habitum abſque tonſura, fortius verò ſi tonſuram abſque habitu deferat, cum hæc apud allegatos, & alios alternativè ponantur, ex deductis per Carol. de Graſſ. *de effect. clericat. in prælud. num. 267. cum ſeq.* & probatur etiam ex decreto Sacri Concil. Trid. *ſeſſ. 14. de reform. c. 6.* ubi habitus & tonſura conſiderantur tanquam diverſa, ad illum tamen effectum copulata.

Nihilominus, quatenus pertinet ad uſum veſtis longæ & ſuprà talos, illa verè & propriè non eſt veſtis clericalis, ſed toga doctoralis, clericis potius, non autem doctoribus prohibenda; In jure ſiquidem cautum non eſt, qualis ſit habitus proprius clericorum, neque illius præciſa forma præſcripta eſt, ut per gloſ. *in Clement. 1. de elect. cum concord.* per 3
Barboſ. *de Epiſc. alleg. 9. n. 1.* Sperell. *dec. 17. num. 44.* Benè verum, quod reperitur prohibita veſtis nimis brevis, ne laici videantur, & è converſo etiam veſtis nimis longa, & ſupra talos, cum id importet togam, quæ tanquam continens quid nimis honorificum & ſumptuoſum, clericali modeſtiæ & humilitati non convenit, ad text. *in c. clerici, de vita & honeſt. clericorum*; Toga etenim dicitur veſtis longa 4
& pretioſa, *gloſ. in l. labeo, ff. de ſuſpectis legatis*, verbo *pendulas & togas*, Calvin. *in lexico*, verbo, ſeu dictione togarum, Panorm. *in theſaur. variarum lection. lib. 1. c. 11.* & colli- 5
gitur ex cumulatis *in Theatro vitæ humanæ*, verbo *veſtis & veſtimentum*.

E converſo autem expreſsè cautum eſt in jure, Doctoribus & profeſſoribus competere uſum togæ, atque ſub nomi- 6
ne togatorum propriè Doctores & profeſſores appellari ſolent ad text. *in l. quidquid, & leg. iiſdem cum duab. ſequ. & toto tit. C. de Advocatis diverſorum judicum*, unde gloſ. *in l. 1. C. nulli libere &c. in fin. l. 11.* dicit togam propriè dici Advocatorum, quemadmodum dicitur clamys militum, purpura Regum, ſtola Sacerdotum, cuculla Monachorum &c. quæ toga, ut dictum eſt, propriè conſiſtit in veſte nimis longa, quandam majorem majeſtatem, ac pompam præſeferente, ut habemus apud hiſtoricos de Imperatoribus ac Senatoribus Romanæ Reipublicæ, togæ uſum diſcretivè ad reliquum populum habentibus ex collectis *in theatro vitæ humanæ*, verbo *Veſtis, & Veſtimentum*, ubi multa de uſu togæ. Ac etiam docet actualis praxis Reipublicæ Venetæ, quaſdam dictæ antiquæ Romanæ Reipublicæ reliquias retinentis, unde propterea dicebam indebitè prohiberi Doctori illum uſum togæ, qui de jure ſibi competebat.

Et licet prius, ab Epiſcopis aliiſque Prælatis, fortè originaliter majeſtatis & honorificentiæ gratia, uſus veſtis nimis longæ, & ut vulgò dicitur, cum quadam cauda longè ſuprà talos, adinſtar dictæ antiquæ togæ haberi cœpiſſet, deinde 7
verò ille irrepſerit in omnes clericos, qui, quo magis religiosè vivere profitentur, eo magis veſtes ſemper deferunt ſuprà talos, quaſi quod deferentes veſtes breviores, magis ſæcularizare videantur, unde propterea Sixt. V. Conſtit. 92. præcipit clericis beneficiatis, vel penſionariis uſum veſtis talaris; Nihilominus iſta dicenda eſt moderna introductio, quam Ricciul. *de jure perſonarum, lib. 7. c. 6. n. 2.* in clericis
dicit derivare à dicta Conſtitutione; Et ſic eſt aſſumptio uſus 8
togæ adinſtar, ideoque inducere non debet prohibitionem ejuſdem uſus in iis, qui illum habent antiquum, & de jure, cujus diſpoſitione attenta, ipſis eſt potius prohibitus ut ſuprà; Incongruum enim eſſet, quod Regibus & Senatoribus antiquum uſum purpuræ habentibus, iſte prohibendus eſſet, ex eo quod Cardinales tanquam Papæ Senatores, ac Regibus aſſimilati, ab aliquo tempore hunc purpuræ uſum habeant, cum ſimilibus; Qui enim aſſumit nomen, inſignia, vel honorificum habitum alterius, potius in ſtricta juris cenſura prohiberi poteſt, ex iis, quæ habentur deducta *ſub tit. de præemin. hoc eod. libro*, ſi tamen non prohibeatur, non inde inferri poteſt, quod aſſumens adinſtar, jus habeat prohibendi illis, qui antiquiorem uſum in titulum ex juris diſpoſitione, vel conſuetudine habebant.

Eoque

Eoque magis præmiſſis locum eſſe dicebam, ſtante obſer-
9 vantia Curiæ Romanæ, quæ tanquam Curia Papæ, totiuſque Chriſtiani Orbis metropolis, omnium ſaltem Eccleſiaſticarum Curiarum exemplar eſſet debet, dum nedum Advocati & Procuratores, ſed etiam medici, aliique literarum profeſſores habent uſum veſtium talarium, atque adinſtar antiquæ Reipublicæ, togati nuncupantur, itaut in nihilo differre videantur à clericis etiam in ſacris & qualificatis, puta Canonicis Baſilicarum, Abbatibus, vel Parochis, &c. quamvis eſſent uxorati, ac merè ſæculares.

Hæc dicebam tanquam Advocatus ad cauſæ, ſeu requirentis opportunitatem. Eodem autem tempore, requirentem
10 juxta ſtylum monui, quod inſpecta veritate, magnam deſuper habebam difficultatem, atque probabilis mihi videbatur Epiſcopi prohibitio, quoniam licet hæc in puncto juris, atque attento antiquo uſu ſubſiſterent, nihilominus quia in pleriſque regionibus, ac ferè ubique, excepta Urbe, & Statu Eccleſiaſtico, iſte uſus antiquæ togæ doctoralis dimiſſus eſt, quoniam ſi alicubi judices, vel advocati incedunt togati, attamen eſt quædam toga magis brevis, ſatis diverſam formam habens, à Gallorum potius quàm Romanorum uſu, & moribus introducta. Hinc proinde de facto uſus inolevit, quod veſtes longas, ac talares non deferunt niſi clerici, in hoc à laicis differentes, & conſequenter, ſtante contraria conſuetudine innovante dictam antiquam juris diſpoſitionem, rectè intrat ſuperius initio inſinuata concluſio deducta, *ex c. unico de bigamis in 6.* ſuper juriſdictione & poteſtate Epiſcopi prohibendi ſæcularibus hujuſmodi veſtium uſum, quamvis aliàs ex præeminentia Doctoratus illum magis jure proprio haberent quàm clerici, quoniam jus non ſcriptum, ſeu conſuetudinarium aliàs induxit; Unde propterea urget ratio, cui dicta prohibendi facultas innixa eſt, ſcandali ſc. quod aliàs in populo, præſertim inferiori, & hujuſmodi eruditionum ignaro reſultaret; Quinimò etiam &
11 in populo ſelectiori, ac ſuperioris ordinis, ut quotidiè experimur in Urbe, ubi exteri hujuſmodi uſus peritiam non habentes, quamvis nobiles, imò docti, & eruditi, attamen patriis moribus aſſueti, ſatis mirari ſolent, videndo togatos longam comam deferentes, atque cum mulieribus, quæ ſunt earum uxores, & cum filiis in curribus publicè incedentes, ut etiam de me metipſo dicere poſſum. Et conſequenter ob dictam ſcandali rationem dixi, quod in ſenſu veritatis, dicta requirentis prætenſio, extra locum, in quo dictus togæ uſus habeatur, atque communis Doctorum habitus diverſus eſſet, non videbatur ſubſtentabilis. Ita etiam me docente praxi Civitatis Neapolis in illo plurium annorum ſpatio, quo theoricæ ſtudiis, vel Tribunalium praxi operam dedi, quoniam Archiepiſcopalis Curiæ ſatellites, ſeu miniſtri, perquirentes, & carcerantes clericos comam deferentes, aliiſque ejuſdem Curiæ decretis contravenientes circa habitum & tonſuram, cogunt etiam eos, qui ſe profitentur ſæculares, ad dimittendam illam habitus formam, ſeu ſpeciem, cum qua, ſtantibus Civitatis moribus & uſu, potius clerici quàm laici reputandi venirent, de quo etiam teſtatur Genuen. *in prax. Archiepiſc. d. c. 55. n. 3.*

Ideoque ad Epiſcopum, ſeu Superiorem Eccleſiaſticum ſpectare declarationem, ſeu determinationem, qualis dicatur
12 habitus clericalis, habetur apud Fagnan. *in cap. ſi quis, de foro compet. num. 21.* Atque poſſe Epiſcopum cogere, & curare debere, ut diverſus ſit habitus clericorum ſæcularium ab illo regularium, idem Fagnan. *in cap. quia ingredientibus, de teſtam. num. 4. & ſeqq.* ex eadem ratione confuſionis & ſcandali.

ANNOT. AD DISC. XCIII.

DE veſtibus Clericorum, & de requiſitis Concilii Tridentini ad hoc ut Clerici gaudeant privilegio fori, aliiſque privilegiis Clericalibus, vel an laicis prohibeantur veſtes Clericorum, vel Religioſorum, in annot. ad Conc. Trid. *diſc. 24. & tit. de teſtam. diſc. 34. & ſæpius, & ſupra in Annot. ad diſc. 55.*

NEAPOLITANA REMISSIONIS CAUSÆ PRO EMANUELE MONTOJA.

Reſponſum pro veritate.

An & quando clericus conveniri poſſit coram judice laico ſuper bonis, quæ cum ipſius judicis authoritate obtinuit. Et quid ubi tutelam, vel aliud officium ab eo ſuſcepit, ſed quod ipſa bona coram laico præventa ſint; Et in ſpecie clerici hære-

dis, qui obtinuit immiſſionem ad bona hæreditaria à judice laico, an coram iſto conveniatur pro debitis hæreditariis, vel legatis.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries.*
2 *De ratione ob quam hodie tutum judicium pro veritate dari non poteſt, & quare Advocatis reddatur licitum ſcribere in jure pro quo quacumque parte.*
3 *Quod materia juriſdictionalis ſit involuta, & de ratione.*
4 *An Clericus ſuſcipiens tutelam, vel aliam adminiſtrationem à manu judicis laici coram iſto conveniatur.*
5 *In dubio ſtandum eſt regulæ.*
6 *Quando tenenda eſſet opinio, quod clericus poſſet conveniri, quomodo intelligenda veniret.*
7 *An clericus, qui in concurſu creditorum liberatur à judice laico pecunia debitoris cum cautione de reſtituendo, conveniatur coram eodem laico pro reſtitutione.*
8 *Quid ubi liberantur cum eadem cautione de reſtituendo bona, quæ extent, ac directè vendicari valeant.*
9 *Pecunia ſoluta creditori cum cautione de reſtituendo, dicitur ſemper extare, & non poteſt dici conſumpta.*
10 *De caſu in quo pecunia cum dicta cautione ſolvatur laico, cui deinde ſuccedat clericus remiſſive.*
11 *An quando clericus à judice laico eſt immiſſus in judicio particulari ad poſſeſſionem bonorum, ſuper iſtis ab alio conveniatur coram eodem laico.*
12 *De differentia inter judicium univerſale, & particulare.*
13 *Quid ubi clericus hæres, vel fideicommiſſarius immiſſus eſt à laico in poſſeſſionem bonorum, cum clauſula*, ſalvo jure aliorum, *ſeu* ſine præjudicio habentium meliora jura, *an conveniatur coram eodem laico.*
14 *De operatione dictæ clauſula, quod inducat conditionem.*
15 *Si clericus in confectione inventarii hæreditarii coram judice laico citat creditores, & legatarios, an coram eodem ab iſtis reconveniatur pro ſolvendis debitis, vel legatis.*
16 *De caſu in quo idem judex laicus, vel ſuperior ex capite nullitatis, vel injuſtitiæ retractet immiſſionem datam clerico.*
17 *An clericus hæres laici conveniatur coram laico pro debitis hæreditariis, vel legatis.*
18 *De differentia inter legata ſpeciei, & illa quantitatis ad dictum effectum fori.*

D I S C. XCIV.

POrtia Gentilis uxor olim Regentis Montoyæ, in teſta- 1
mento condito circa ann. 1642. inſtitutis hæredibus, Michaele, Joanne, & Emanuele filiis cum reciproca inter eos, legavit cuidam Moniali ducatos mille, cujus teſtatricis morte ſequuta, filii prædicti, juxta morem Civitatis Neapolitanæ, curarunt ſe declarari hæredes in M. C. V. cum beneficio legis & inventarii, conficiendo, ut ibi dicitur *præambulum*, unde quilibet longævo ſpatio annorum 20. & ultra propriam portionem poſſedit.

Mortuo autem uno eorum Canonico Toletano, ejuſque portione conſolidata in altero, qui erat Epiſcopus Gallipolitanus, iſto quoque defuncto, Emanuel ſuperſtes in vim dictæ ſubſtitutionis, in eadem M. C. conficiendo dictum *præambulum*, obtinuit immitti in poſſeſſionem bonorum hæreditariorum adverſus præfati Epiſcopi ultimo loco defuncti hæredem laicum, cum clauſula in hujuſmodi actibus ibi apponi ſolita, *ſalvo jure cujuslibet*; Poſtquàm verò per annum & ultrà dictus Emanuel fuerat dictarum aliarum portionum pacificus poſſeſſor, dicta Monialis, ſeu Monaſterium ex ejus perſona, pro conſequutione dicti legati, contra eum abſentem & in Curia domicilium habentem egit coram quodam ſupremo Magiſtratu ſæculari cauſarum dicti Monaſterii ſpecialiter delegato, à quo proceſſum fuit ad ſequeſtrum bonorum hæreditariorum, ad effectum, ut ex fructibus & redditibus præfatum legatum ſatisfieri poſſet; Oppoſitaque ex parte Emanuelis clerici beneficiati declinatori fori, petendo cauſam remitti ad ſuum judicem Eccleſiaſticum, denegata fuit ex eo fundamento, quod cum ipſe recepiſſet bona à manibus judicis laici cum dicta clauſula, *ſalvo jure cujuslibet*, non poterat refricare quæſtionem juriſdictionis & poteſtatis proprio authori, à quo ita conditionaliter cum dicta clauſula conſenſerat recipere bona prædicta, quæ proinde remanebant præventa; Unde ſuper

hoc

hoc ex parte dicti Emanuelis de proprio ſenſu conſultus, breviter cum parva notula, etiam cum ſenſu veritatis, reſpondi petitæ remiſſionis omnino locum eſſe debere, quodque admiſſa etiam pro vera opinione, quæ tenetur in illis Tribunalibus, & per alios laicos, ſuper conventione clerici coram eodem judice laico, pro rebus & bonis, quæ ab ejus manu obtinuit. Nihilominus id procedat in caſibus, in quibus continuetur idem judicium univerſale, vel particulare, ſeu intereſſatus, qui de novo comparet, veniat ex eodem jure, eademque cauſa pro quibus clericus à dicto judice bona obtinuit, ſecus autem ubi in judicio novo & diverſo, & ex diverſa cauſa, ut ita ſummariè inſinuatum habetur in Firmana molendini, *hoc eodem tit. diſc.* 58. ubi de hac materia conventionis clerici ſuper bonis habitis à judice laico; Cumque non obſtantibus continuaretur in denegatione dictæ remiſſionis, ac proceſſu ad ulteriora, deliberando etiam de facto ad favorem Monaſterii actoris quibuſdam pecunias obventas ex fructibus & redditibus bonorum ſequeſtratorum, ac propterea ex parte dicti Emmanuelis denuò requiſitus eſſem ad formale reſponſum pro veritate, ut ea cognita acquieſcere poſſet, vel è converſo ad alios Superiores recurrere.

2 Non libenti animo tale onus aſſumpſi, quoniam ſi in omni materia hodie ob tantam opinionum varietatem, quodammodo amiſſa eſt facultas reſpondendi pro veritate omnino ignota, quoniam juxta frequentem, & quotidianam experientiam, ſæpè ſæpius cauſarum exitus diverſi eſſe ſolent à judicio pro veritate, nedum per unum, ſed per plures ſapientes maturè præſtito, obtinendo victoriam in iis, in quibus certa quodammodo ſuccumbentia timebatur, & è contra ſuccumbendo in cauſis, quæ reputabantur claræ & tutæ: Et ob quam rationem, ceſſante mendacio, ſeu alteratione facti, in quo apud Deum & apud homines nulla excogitabilis eſt defenſorum excuſatio, in iis quæ juris ſunt, ex recepto, beneque fundato ac rationabili Curiæ, aliarumque præſertim magnarum Civitatum uſu, licitè per Advocatos in iis quæ conſiſtunt in puncto juris, ſcribitur etiam contra propriam opinionem, quæ frequenter ex cauſarum eventu fallax detegitur, cum obligatione tamen liberè ac ſincerè proprium ſenſum, propriaſque difficultates requirenti inſinuandi, potiſſimè in Curia, ubi Advocati nonniſi in articulis juris dubii evocari ſolent.

Multò magis id procedit in hac juriſdictionali materia ſuprà omnes alias involuta, non quia per ſe eſſet talis, ſed quia
3 antiquioribus parum eam ex profeſſo examinantibus, per modernos factionarios potius more tractata eſt, non indagando ſincerè veritatem cum illis diſtinctionibus ac honeſtis temperamentis, cum quibus quædam media via teneri poteſt & debet, utriuſque poteſtatis conciliativa, ut revera fuit ſenſus antiquiorum, quos proinde moderni, cuilibet ex pugnantibus opinionibus pro eorum opportunitate applicant, propriæ poteſtati principaliter ac magis adulando non autem veritati, ſtatuendo, ac aſſumendo extrema hinc indè vitioſa contrà Evangelicum præceptum, ut ex Domini noſtri oraculo dari debeant, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

Ut autem amico ſatisfacerem, reſpondi, pluries in propoſito clerici aliquid obtinentis à manibus judicis laici, cadere diverſos caſus, ſeu quæſtiones; An coram eo non obſtante fori exemptione, ac regulari incompetentia conveniri valeat; Ideoque ad evitanda conſueta æquivoca reſultantia ex mixtura caſuum inter ſe diverſorum, ſive ex incongrua applicatione authoritatum, pernecesſè procedendum eſſe advertebam cum caſuum diſtinctione.

Quorum primus eſt, ubi clericus aliquod munus ſuſcipit
4 à manibus judicis laici, puta tutelam, vel aliam adminiſtrationem, ſeu quod ab eodem ſequeſter aut depoſitarius factus eſt, an coram eodem conveniri poſſit, & tunc variæ ſunt opiniones; Canoniſtæ ſiquidem & Morales indefinitè tenent negativam ratione omnimodæ incompetentiæ, ſeu incapacitatis judicis laici, cognoſcendi de cauſis clerici; Civiliſtæ verò, ſeu laici inter ſe variant; Aliqui enim diſtinguunt caſum, in quo dictum munus ſuſcipiatur in ſtatu laicali, cui deinde ſuperveniat clericatus, & caſum in quo in ipſo clericali ſtatu tale munus ſuſceptum ſit; Alii verò diſtinguunt, an idem munus ſuſceptum eſſet ex juſto motivo ſanguinis, ut eſt erga conjunctos, ſeu pietatis erga perſonas miſerabiles cum ſimilibus, vel potius illicitè ſuſcipiendo munus clerico incongruum; Atque iſto caſu plerique non incongruum reputant, ut citra violationem Eccleſiaſticæ immunitatis, clericus ratione officii, quod ſuſcipit à judice laico, coram ipſo conveniri poſſit, eodem modo, quo juxta claram canonum diſpoſitionem, *in cap. Verum, & cap. ex tranſmiſſa, de foro competenti*, clericus, ſeu datarius ratione feudi convenitur coram Domino quamvis laico, ut patet ex deductis per Carol. de Graff *de effect. cleric. effect.* 1. *ex num.* 855. Eſcobar. *de ratiociniis*, c.6. Rovit. *pragm.* 1. *de clericis & diaconis ſalvaticis*, & latius *dec.* 20. ubi dicit deciſum pro remiſſione clerici ad judicem Eccleſiaſticum, de Marin. *reſol.* 53. *lib.* 1. *& reſolut.* 177. *num.* 8. *& ſeq. lib.* 2. latè & ex profeſſo contra deciſa apud Rovit. *d. deciſ.* 20. Capyc. Latr. *conſult.* 103. In qua quæ-
ſtione dici poteſt, communem & probabilem aſſiſtere foro 5
Eccleſiaſtico, dum Canoniſtæ & Morales videntur pœne concordare, ipſi autem Civiliſtæ, ſeu laici inter ſe diſcordant, & fortè magis communiter eamdem ſententiam foro Eccleſiaſtico favorabilem tenent, ut ſunt præſertim de Marin. & Rovit. ambo Magiſtratus fori ſæcularis, potiſſimè verò Rovitus, qui longo tempore exercuit munus delegati Regiæ juriſdictionis; Licèt Modernus elaboratiſſimus Hiſpanus Cortiada, *deciſ.* Aragon. 10. *n.* 114. ad probandum quod conveniri poſſit coram laico multos cumulet, referendo etiam tenentes contrarium, ſed juxta ſtylum eſt ſimplex collector, non examinando articuli veritatem; Et tamen ſufficiat, ex his articulum reddi dubium, ut in dubio adhærendum ſit regulæ generali aſſiſtendi foro Eccleſiaſtico privativè ad forum laicalem omnino incompetentem in cauſis clericorum, nam in dubio inhærendum eſt regulæ Mantic. *diſc.* 251. *numer.* 4. Franch. *deciſ.* 197. *numer.* 9. cum aliis collectis per Barboſ. *ax.com.* 198.

Quicquid autem ſit de veritate articuli, adhuc tamen 6
quando in aliqua regione receptus ſtylus eſſet in contrarium, videtur iſto caſu tolerabilis, cum ex dicto exemplo feudi, ob rationis identitatem, non videatur omnino exorbitans, dummodo tamen procedatur ad diſpunctionem rationum, & alia quæ concernunt judicium ſuper illo munerre ſeu adminiſtratione, non autem ad executionem ac diſtrictionem, præſertim perſonalem, ac etiam realem in bonis propriis, & pro executione actionis perſonalis, niſi authoritate judicis Eccleſiaſtici, ut admittitur apud Capyc. Latr. *d. conſult.* 103. & alios apud eos, & apud Cortiad. *d. deciſ.* 10. *n.* 114. *poſt med. verſ. Benè verum*, cum alias ſtylus contineret, potius corruptelam, ideoque nullatenus tolerabilis; Quæ tamen, licet à caſu controverſiæ extranea eſſent, prout & alia in caſibus ſequentibus, adhuc tamen citra evagationis defectum inſinuabam, ad dictum effectum congruæ applicationis authoritatum, & ne unum caſum percutientes, alteri diverſo incongrue applicarentur, relinquendo in reliquis locum veritati, cum occaſio non dederit formiter hunc articulum diſputandi.

Alter caſus eſt ubi in concurſu creditorum ſuper patrimo-
nio communis debitoris, efformato coram judice laico, ab 7
iſto liberatur pecunia clerico creditori cum obligatione de reſtituendo prioribus & potioribus, ac ad omne mandatum &c. & tunc in vera juris cenſura pro incompetentia judicis laici quoque reſpondendum videtur, ut ſcilicet coram eo clericus conveniri non valeat, quoniam cum agatur de cogendo perſonam ad reſtituendam pecuniam conſumptam, & cum reliquo patrimonio confuſam, ita eſt exercere directam, & perſonalem actionem cum ipſo clerico non ſubdito per viam formalis & integræ conventionis in perſona & bonis propriis, ut benè in his terminis probat, & tenet de Marin. *reſol.* 206. *lib.* 1. *per tot.* Et licet in fine dicat in contrarium eſſe illorum Tribunalium praxim, attamen iſta praxis ita ſimpliciter, ac indefinitè ſumpta, potius manifeſta corruptela dicenda videtur, niſi diſtinguendo dicatur, quod aut agitur de decidendo puncto anterioritatis, vel potioritatis in concurſu, ac ſucceſſivè de puncto avocationis pecuniarum, & an ſit locus reſtitutionis, necnè, & tunc rectè ad eumdem judicem id pertineat tanquam judicem concurſus, & cauſæ univerſalis, nam alias eſſet involvere totum mundum, neque alias hujuſmodi cauſæ univerſalis concurſu practicari poſſent; Aut verò agitur de actuali coerctione, ſeu executione pro dicta reſtitutione, & ſecus, ut ſcilicet à proprio competente judice Eccleſiaſtico id faciendum ſit, nam alias eſſet exercere juriſdictionem directam cum Eccleſiaſtico, ut ſupra.

Tertius caſus eſt, ubi in eodem concurſu clerico credito- 8
ri aſſignantur, ſeu adjudicantur communis debitoris bona cum eadem obligatione illa reſtituendi anterioribus, vel potioribus, ſeu ea exhibendi ad omne mandatum &c. Et tunc aut ſunt bona mobilia, quæ non extant, ita ut ad ipſa directè agi non valeat, & dicendum venit idem quod in pecunia, quia eadem ratio in omnibus militat, aut ſunt ſtabilia, ſeu etiam mobilia, vel ſemoventia extantia, & quæ directè ven-

vendicari poſſunt, & tunc licet in puncto juris idem quod in caſu præcedenti dicendum veniat, dum illa bona effecta ſunt de dominio clerici, cujus exemptio eſt tam perſonalis quàm realis: Attamen ubi contraria eſſet tribunalium laicalium praxis, illa videtur tollerabilis, neque continere tantam corruptelam, ex eadem ratione, de qua infra in quinto caſu, quod ſcilicet in eodem judicio, ſeu ex eadem actione alter compareat, ac petat immitti ad bona hæreditaria; quoniam ita judex exigendo dictam obligationem de reſtituendo declarat quod noluerit purè dare bona prædicta, neque eorum dominium, & poſſeſſionem in clericum transferre, ſed ſolùm proviſionaliter concedere quamdam ſpeciem tenutæ precariæ, ad ejus nutum amovibilis, cum facultate reaſſumendi propria authoritate ipſa bona, & ſic tanquam vinculum, ſeu onus reale ipſis bonis infixum, unde congruere videntur termini feudi, de quibus ſuprà; Sivè quòd tali caſu judex laicus cenſendus veniat jure illius privati contrahentis, qui rem à ſe poſſeſſam alteri precario, ſeu ad nutum avocabilem tradat, cum facultate eam capiendi propria authoritate, quoniam dicto privato in vim hujuſmodi pacti ipſam rem aſſumente lędi non dicitur Eccleſiaſtica immunitas, dum id non in ratione juriſdictionali, & authoritativa in perſona, & bonis ipſius clerici ſequi dicitur, ſed in ratione privata, & conventionali in bonis propriis ipſius reaſſumentis, quæ cum reliquo clerici recipienis patrimonio ita commixta non dicuntur.

9 Non ſic eſt in caſu præcedenti pecuniæ, vel aliarum rerum conſumptarum, & non extantium, ad quarum pretium, ſeu æquivalentiam agatur, quoniam licet recepta juris propoſitio ſit, quòd pecunia de mandato judicis creditori ſoluta cùm cautione de reſtituendo prioribus, & potioribus, ſeu ad omne mandatum &c. nunquam dici poſſit conſumpta, vel commixta, ſed ſemper habeatur pro extante, perinde ac ſi ſoluta non eſſet, Anna *ſingul.* 537. Franch. *deciſ.* 75. *numer.* 9. *ubi adden. & deciſ.* 200. *num.* 4. Rot. *deciſ.* 155. *in fin. par.* 7. *recen. deciſ.* 189. *num.* 38. *& deciſ.* 232. *num.* 33. poſt Zacch. *de obligat. cam. & paſſim.* Nilominùs hæc dicitur ficta, & intellectualis exiſtentia, proveniens ex fictione, & potentia legis, ad effectum, ut creditor evitare non poſſit reſtitutionem ſub prætextu conſumptionis bona fide; Naturaliter autem, & de facto, illa identificè, & commodè ſeparabilis à reliquo patrimonio non adeſt, & conſequenter pernecеſſe dare oportet juriſdictionalem coactionem in perſona, & bonis propriis ipſius clerici, quod implicat in judice laico, & ſic magna differentia eſt inter unum caſum, & alterum.

Ratò autem contingentes ſunt hodie hujuſmodi contro-
10 verſiæ, ſolutionis ſcilicet pecuniarum, vel adjudicationis bonorum directè ipſis clericis, vel perſonis Eccleſiaſticis in eo ſtatu jam conſtitutis ipſorum tantùm fidem ſequendo, cùm tunc ad hujuſmodi diſputationes removendas tribunalia laicalia aliàs adhibere ſoleant cautelas, ſed benè contingunt, quando id ſequutum eſt cùm laico, qui deinde efficiatur clericus, ſivè quod ipſo laico moriente, illi clericus, vel perſona Eccleſiaſtica ſuccedat, qualis eſt caſus præciſus diſputatus apud Capyc. Latr. *deciſ.* 123.

Quartus caſus eſt, ubi clericus à Judice laico immittitur in poſſeſſionem aliquorum bonorum in judicio particulari, quod ſequuta immiſſione omnimodum finem habet, neque de illius retractatione, eadem cauſa continuante agitur, ſed deindè ex integro, & in judicio omninò novo alter prætendens habere potiora jura ſuas actiones ſuper eiſdem bonis exercere prætendit. Utputa clericus creditor hypothecariùs laici, adverſus ipſum debitorem, vel adverſus tertium poſſeſſorem laicum obtinet à judice laico immiſſionem in judicio ſalviani, ſivè in illo aſſiſtentiæ, vel ſimili, dictoq; judicio expleto, ac poſſeſſore expulſo acquieſcente, alter creditor hypothecariùs, qui anteriorem, vel potiorem ſe prætendat, idem ſalvianum, vel aſſiſtentiam ſuper eiſdem bonis intentare velit contra clericum jam effectum dominum,
11 ſeu pacificum poſſeſſorem; Sivè quòd aliquis jure fideicommiſſi, aut ſimili ex remedio *l. fin. C. de edict. div. Adriani*, aut cùm alia actione, eadem bona vindicare prætendat; Et tunc quicquid aliqui dicant in contrarium, omninò verè videntur firmata apud Rovitum *deciſ.* 44. ut clericus nonniſi coram ſuo judice competente deſuper conveniri valeat, quoniam primùm judicium coram laico jam terminatum fuit, iſtud verò eſt omninò novum, & integrum, & ſic dici non poteſt continuatio prioris judicii, ut advertitur ſuprà in dicta Firmana, *diſc.* 58.

12 Magnaque differentia eſt inter iſtum caſum, & præcedentem, quoniam in eo, ubi agitur de judicio univerſali concurſus creditorum efformati in patrimonio, ſeu bonis communis debitoris, ipſa bonorum univerſitas dicitur poſita ſub poſſeſſione, & adminiſtratione illius judicis, qui ita revocabiliter ad ejus nutum bona aſſignat creditoribus per ſpeciem precariæ, & proviſionalis tenutæ ut ſupra, unde quando veniunt alii creditores anteriores, vel potiores pro eiſdem bonis vindicandis, non dicitur judicium novum, ſed idem, atque continuatio ejuſdem judicii univerſalis, quod dici non poteſt de altero caſu; Ac etiam quia in hujuſmodi caſu judicii univerſalis, ſeu concurſus, ut etiam inſinuatur in d. Firmana *diſc.* 58. expedit clericis, & Eccleſiaſticis huic praxi ſe non opponere, eamque tolerare, ob eorumdem Eccleſiaſticorum favorem, ut ità faciliùs obtineant liberationem pecuniarum, ſeu poſſeſſionem bonorum, aliàs veriſimiliter non obtenturi, vel ſaltem longè difficiliùs, & cum onere præſtandi fidejuſſores, ſeu expromiſſores laicos, ut pluries vidi practicatum.

Quintus caſus eſt ubi delata clerico, teſtata, vel inteſtata 13
ſucceſſione immediata, & directa, ſeu obliqua, & fideicommiſſaria, hic petit, & obtinet à judice laico ſe declarari hæredem, ac immitti in poſſeſſionem bonorum vacantium, ſeu à laico poſſeſſorum, dictaque immiſſio ſit pura, & perfecta abſque aliqua conditione, & tunc videtur idem quòd in præcedenti, ut ſcilicet altera veniente, etiam ex eodem jure univerſali, ſeu cauſa ſuccedendi, clericus jam perfectus, & pacificus poſſeſſor conveniri debeat coram ſuo judice competente, quoniam primùm judicium jam finitum eſt, ſuumque effectum habuit, iſtud verò eſt omninò novum, & integrum juxta *d. deciſ.* 44. Roviti, cùm ibi deductis; Secus autem ſi, juxta hanc facti ſpeciem, immiſſio non purè, ſed conditionaliter data eſset cùm dicta clauſula in M. C. V. aliiſque tribunalibus Regni Neapolitani uſitata, *ſalvo jure cujuſlibet*, quam in Curia concipimus *ſine præjudicio habentium potiora, & meliora jura &c.* Tunc enim ut ſuprà in tertio caſu dictum eſt, quoties alter compareat ex eodem jure, ſeu cauſa ſucceſſionis, quia ſcilicet prætendat ſe in inteſtata, vel teſtata directa, ſeu fideicommiſsaria ſuccesſione potio-
rem, vel æqualem, ex ejuſdem defuncti, vel legis munici- 14
palis judicio, & tunc rectè tollerabilis etiam videtur dicta praxis, quòd coram eodem judice clericus ita immiſsus evocari poſſit, quoniam ut dictum eſt, non moleſtatur in perſona, & bonis propriis, ſed tantùm judex reaſsumit bona ita conditionaliter ac jure proviſionali, & precariæ tenutæ data clerico, cùm cujus bonis, & patrimonio commixta, ſeu confuſa non cenſentur, quoniam hæc eſt virtus dictæ clauſulæ, inducendi ſcilicet conditionem reſolutivam, qua purificata, reſolvatur actus ab initio, ac ſi geſtus non eſset, ex plene deductis per Adden. ad Gregor. *deciſ.* 332. *num.* 6. & per Rotam in aliis ſatis frequenter; Aſſiſtentibus, nedum æquitate, ſed etiam dicta ratione majoris favoris ipſorum clericorum, ut ita faciliùs hujuſmodi immiſſiones obtineant, Et hic eſt caſus, de quo loquitur Capyc. Latr. *dicta deciſ.* 123. *numer.* 8. quòd ſcilicet immiſso quodam monaſterio jure teſtatæ ſucceſſionis cùm confectione præambuli ſub dicta clauſula ad poſseſſionem bonorum defuncti, alter deinde compareat jure neceſsariæ ſucceſſionis ſibi competentis in vim illarum conſuetudinum in parte bonorum antiquorum, cum ſimilibus, dum ita primum judicium finitum non eſt, ſed dicitur continuatio, ac reaſsumptio ipſorum bonorum, quæ ita vacantia finguntur, abſque moleſtia, vel coactione ipſius clerici in perſona, & bonis propriis: Ideoque ut ſupra admittebam iſto caſu enunciatam illorum tribunalium praxim tolerabilem eſse, & de quibus caſibus habetur etiam cùm eadem, vel ſimili diſtinctione apud
Carleval. *de jud. tom.* 1. *ex n.* 946. *cum pluribus ſeq.* 15

Sextus caſus eſt, ubi delata clerico, teſtata, vel inteſtata ſucceſſione, ipſe volens in tribunali laicali facere dictum præambulum cùm beneficio legis, & inventarii pro adimplendis iſtius ſolemnitatibus juxta diſpoſitionem textus *in l. fin. C. de jur. deliber.* ibi citat creditores hæreditarios ac legatarios, qui ita provocati, contemporaneè per quamdam ſpeciem reconventionis coram eodem judice laico, eumdem clericum ita eos provocantem pro ſolutione debiti, vel legati conveniunt; Et tunc licet in puncto juris id fieri non poſſit, quoniam cùm hoc ſit judicium merè voluntarium, non autem arctativum, verè & propriè non intrant termini reconventionis ex benè deductis per Hodiern. ad Surd. *deciſ.* 26. *num.* 13. *&* 14. Attamen in aliquibus Tribunalibus praxis ſolet eſse in contrarium, ut teſtatur idem Hodiern. *ibid. nu.* 15. *& poſt nu.* 26. Dictaque praxis neque omninò exorbitans, ſed tolerabilis videtur, quia de facto adeſt provocatio ex parte clerici, cui fortè objici poteſt, cur hunc actum voluntarium

tarium coram judice laico, & non coram proprio, & Eccleſiaſtico gerat: Quos omnes ſupra diſtinctos caſus, ita incidenter deducebam ad præfatum initio inſinuatum effectum, tollendi æquivoca, ſeu explicandi, in quibus caſibus procederet illa contraria praxis, quæ in hac facti ſpecie per dictum judicem præſupponebatur, quodque incongruè applicaretur ad caſum controverſiæ, nihil tamen deſuper firmando, ſeu integruum locum relinquendo veritati, dum incidenter, & diſcurſivè hæc deducebantur.

16 Demum, omiſſis aliis ad rem non facientibus, & præſertim illo veræ continuationis ejuſdem judicii, ac retractationis actus per viam nullitatis, vel injuſtitiæ, de quo in dicta Firmana *diſc.* 58. Septimus eſt noſter caſus præciſus, quòd ſcilicet delata alicui clerico ſucceſſione directa, vel obliqua, atque per iſtum confecto præambulo, & obtenta immiſſione in poſſeſſionem bonorum à judice laico, actus ſuum plenarium conſequitur effectum, atque clericus in eo jure ſucceſſorio nullum habet contradictorem, ſed effectus jam pacificus poſſeſſor hæreditatis, & bonorum, ex intervallo pulſatur per creditores hæreditarios, vel legatarios ad ſolutionem debitorum, ſeu legatorum; Et tunc, reflectendo etiam ad ſolam veritatem, dicebam omninò improbabilem eſſe dictam laicorum prætenſionem, cum non ſolum
17 reſiſterent juris propoſitiones, & principia, ſed etiam neque aſſiſteret præſuppoſita praxis, quæ percutit dictos alios caſus, de quibus loquuntur allegati authores, & cæteri apud eos, non autem iſtum, in quo quidquid dicant aliqui relati per Carleval. *de judiciis, tom.* 1. *num.* 303. omninò verior, & communiter in toto orbe catholico recepta eſt opinio, ut clericus hæres laici pro ſolutione æris alieni defuncti conveniri debeat coram ſuo judice Eccleſiaſtico, & competente, ut pleniſſime cæteris collectis habetur apud Carleval. ubi ſuprà, *numer.* 301. *& ſeqq.* Tunc enim ceſſant omnes rationes militantes in aliis ſuprà exemplificatis caſibus, quia primum judicium jam abſolutum ac finitum eſt, iſtud verò eſt omninò novum, & diverſum, neque ſequi dicitur purificatio conditionis contentæ in dicta clauſula *ſalvo jure*, ſive in altera, *ſine præjudicio*, cum intelligatur quoad venientes ex eadem cauſa, & per quamdam continuationem ejuſdem judicii juxta alios caſus, ut ſuprà exemplificatos.

Clarius verò, ac extrà omnem dubitationem iſta procedere dicebam in hac facti ſpecie ex triplici particulari circumſtantia; Primò, quia non agebatur de ſucceſſione, & bonis laici, niſi mediatè, cum immediati poſſeſſores, per quorum obitum bona vacabant, & immiſſio petita eſt, eſſent etiam Eccleſiaſtici, undè oporteret eos, ſi viverent, coram proprio judice Eccleſiaſtico convenire; Secundò, quia ipſemet clericus, qui hanc immiſſionem in præfatis duabus defectis portionibus habuerat, erat etiam hæres directus jure proprio pro tertia parte, ab ipſo jam ſpatio annorum circiter 25. pacificè poſſeſſa, unde erat correus, & conſequenter cum ageretur de intereſſe connexo, ejus forus tanquam potentior de jure totam cauſam trahere deberet etiam quoad correos laicos, multò magis dum omnes aliæ portiones quamvis alias per laicos poſſeſſæ eſſent, ita in ipſo clericò erant conſolidatæ.

Et tertiò fortius; quoniam non agebatur de legato ſpeciei,
18 quo caſu forte dici poſſet, quod ejus dominio favore legatarii privilegiati recta via in iſtum tranſeunte, non adeſſet neceſſitas obtinendi legatum à manu hæredis, quodque judex laicus in animo non habuerit tradendi poſſeſſionem rerum legatarum, quæ ita extrà hæreditatem quodammodò eſſe dicerentur, atque ita vacantia pro legatariis relinquere voluerit directè eis tradenda in judicio merè reali rei vendicationis, ſed agebatur de legato quantitatis, pro quo aſſequendo pernęceſſe oportebat exercere contra ipſum clericum hæredem actionem perſonalem, tanquam pro debito proprio, quoniam cum legatum non debeatur in vita teſtatoris, ſed incipiat deberi poſt ejus mortem, dicitur debitum hæredis non autem defuncti, & conſequenter eſt actio, quæ naſcitur, & ſubſtantiatur cum ipſo hærede; Et licet pro legato detur etiam ſalvianum, vel hypothecaria ad bona defuncti, & ſic remedium reale, ſeu rei perſecutorium, attamen hæc dicitur actio realis, non principalis, ſed acceſſoria, & pediſſequa perſonalis; Atque alias, cum ferè omnia bona per Eccleſias, clericos, & Eccleſiaſticos poſſeſſa, à mediatis, vel immediatis laicorum ſucceſſionibus obveniant, ita eſſet penitus deſtruere Eccleſiaſticorum exemptionem realem à foro laicali, ideoque concludebam hanc prætenſionem eſſe omninò improbabilem.

ANNOT. AD DISC. XCIV. & XCV.

JAm notatum ſuprà *ad diſc.* 57. *& pluries*, & de contentis Diſc. XCV. ſuprà *n.* 41.

EADEM PAPIEN.

VISITATIONIS HOSPITALIS, DE QUA DISC. XLI.

INTER EASDEM PARTES.

Super reſolutione Congregationis Concilii pro Adminiſtratoribus Hoſpitalis.

De eadem materia, de quo dicto diſc. 41. An ſcilicet, & quando intret necnè Concilium Tridentinum ſeſſ. 22. de reform. cap. 8. & 9. ſuper viſitatione Hoſpitalium exemptorum, ac reviſione rationum.

SUMMARIUM.

1 *De reſolutione in caſu, de quo diſc.* 41.
3 *Reviſio rationum ab Ordinario non eſt ex juriſdictione delegata, ſed ordinaria.*
3 *Epiſcopus de jure tanquam exequutor piarum voluntatum poteſt viſitare, ac revidere rationes adminiſtratorum.*
4 *Quid operetur in hoc revocatio privilegiorum.*
5 *De intelligentia illorum verborum*, niſi in fundatione cautum ſit. *quid ſignificet illud verbum* cautum.
6 *De derogatione privilegiorum contenta in Concilio.*
7 *Examinatur obſervantia.*
8 *Decretum irritans inficit contrariam obſervantiam, & impedit præſcriptionem.*
9 *De motivo præcipuo reſolutionis.*
10 *De fundamentis ex quibus reſolutio potius placeat.*
11 *Etiam data exemptione deputator Viſitator Apoſtolicus.*
12 *Quod etiamſi expreſsè cautum non ſit, ſufficiat per æquipollens.*
13 *De reſolutione in cauſa, de qua diſc.* 26.

DISC. XCV.

CUm meus Amanuenſis harum adnotationum impreſ- 1
ſioni præpoſitus, antequam expectaretur hujus cauſæ reſolutio, typis dari curaſſet adnotationem, quam juxta ſtylum ad propriam inſtructionem, & memoriam principaliter in ea edideram ut ſuprà *diſc.* 41 poſtmodum verò ſub die 16. Martii 1669. propoſita cauſa in Sac. Congregat. Concilii prodierit contra meum votum reſolutio Adminiſtratoribus Hoſpitalis favorabilis, non intrare ſcilicet Trident. Concilii decreta *ſeſſ.* 22. *de reform. c.* 8. *&* 9. ob exceptuationem in eiſdem decretis, præſertim in ſecundo contentam, quod alias in fundatione cautum eſſet; Hinc proindè, ex eodem juſtitiæ, & veritatis indagandæ ſenſu, ex quo omnes iſti labores prodierunt, cenſui ultra ibi deducta, infraſcripta quoque adnotare, ut ea quæ habentur *d. diſc.* 41. magis declarata remaneant.

Per aliquos igitur obſervatum fuit, quod decretum Con-
ciliare *dicto cap.* 9. occaſione agendi de reviſione rationum 2
nullam concedit juriſdictionem delegatam, ut facit *cap. præcedenti* 8. circa viſitationem, circa quam in Hoſpitalibus, & locis exemptis conceditur locorum Ordinariis facultas viſitandi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, quoniam *in dicto cap.* 9. agendo de reviſione rationum, nulla facta mentione delegationis, dicitur quod loci Ordinarius id agat, Ac proptereà ceſſat reſponſio, de qua *dicto alio diſc.* 41. quod ſcilicet, ejuſdem Sac. Congregationis literæ de anno 1575. ſcriptæ Epiſcopo, quod ipſe tanquam Epiſcopus tales jus non haberet, referendæ non eſſent ad juriſdictionem delegatam, ſed ad ordinariam ob reduplicationem perſonarum, ita ex diverſitate juriſdictionum concurrentem, dum ita corruit delegationis præſuppoſitum cum quo proceſſum eſt.

Verùm hoc fundamentum ſolum, & de per ſe conſidera-
tum mihi vim non inferebat, quoniam punctus pro meo ju- 3
dicio non eſt in delegatione, ſed in derogatione privilegiorum, quæ *in eodem cap.* 9. expreſsè continetur; Certum enim eſt, quòd de jure Epiſcopus ex propria nativa, & ordinaria juriſdictione jus habet viſitandi omnia loca, in quibus ex defunctorum piis diſputationibus pia opera exerceantur, & con-

conſequenter jus revidendi rationes adminiſtratorum, tanquam in ſequelam, ſeu actum conſequutivum viſitationis, ſaltem ex ea facultate quæ ſibi de jure competit exequendi pias volutates, vel curandi, quod alii ad quos pertinet exequantur, ex deductis in Eugubina, *hoc tit. diſc.* 34. & in aliis, Eatenus autem hujus facultatis exercitium ſibi impeditur, quatenus obſtent privilegia exemptiva, quibus revocatis, tanquam per remotionem obſtaculi, operatur jure ſuo primævo, & connaturali; Adinſtar habentis membra valida, cum quibus ambulare, aliaſque naturales operationes facere poteſt, ſed impeditur à vinculis, quibus ſolutis operatur, non jure novo, & dativo ſibi ſupervenientе ab eo, qui vincula ſolvit, ſed jure naturali, & proprio, alias accidentaliter impedito, tanquam per remotionem impedimenti, & quo exemplo utuntur beneficialiſtæ antequam prodiret Conſtitutio Urbani VIII. quæ hodie indultarios effecit delegatos, ad probandum, quod Ordinarius, cui concedatur indultum conferendi etiam beneficia reſervata, vel affecta, jure ordinario, & proprio conferre dicatur, ut frequenter in aliis hoc exemplum adducitur.

6 Alii fundamentum conſtituebant in eo, quod illa verba *in d. cap.* 9. contenta, niſi aliter in fundatione cautum ſit (& quæ receptum eſt ſubintelligi etiam *in cap.* 8.) ſuam operationem facere debeant, quamvis ageretur de conceſſione, non per viam contractus veræ, & correſpectivæ conventionis, ſed etiam per viam gratiæ, & privilegii, quaſi quod illum verbum *cavere*, adaptetur ad quamcumque voluntatem, & diſpoſitionem, ſive per actum correſpectivum, & onerosum, ſive per gratuitum, dum paſſim in jure præſertim civili, & apud ſcribentes hoc verbum adhibetur in teſtatoribus, per quos, ita, vel ita cautum ſit; Verùm, & hoc fundamentum nullius, vel modici momenti mihi videbatur, quoniam ceſſante contractu oneroſo, & correſpectivo explicito, vel etiam implicito contento in privilegio ex cauſa oneroſa conceſſo, ſemper dicitur privilegium, cui Conci-
6 lium generaliter, & indefinitè derogavit. Et quamvis ea privilegia, quæ conceduntur in limine fundationis, magis operativa, & efficacia in jure reputentur, utpotè minus præjudicialia, dum nullum jus Ordinario quæſitum tollunt; Ac propterea habemus, magis exiſtimari, minuſque derogationibus ſubjacere exemptionem nativam quam dativam, ut advertitur in Neapolitana *diſc.* 26. & alibi pluries, Attamen ſemper eſt privilegium, Ideoque cum Conciliare decretum non deſcendat ad has diſtinctiones, ſed generaliter, & indefinitè cuicumque privilegio deroget, intrat vulgaris propoſitio, de qua Barboſ. *axiom.* 136. *num.* 1. quod lex generaliter loquens, generaliter intelligi debet, potiſſimè quia Concilium utitur verbo generali, & effrenato quibuſcumque, quod omnem caſum continet, ex collectis per Barboſ. *dict.* 317.

7 Demum alii magnum fundamentum conſtituebant in tam diuturna obſervantia annorum 100. & ultra decurſorum à publicatione Concilii, in quibus, non obſtantibus motivatis, tam de anno 1575. quam de recenti de annis 1651. & 1654. nunquam docebatur hanc facultatem ad exercitium deductam eſſe; Sed pariter hoc motivum, ſolum, & de per ſe, non videbatur conſiderabile; Siquidem modernum ſilentium ab anno 1651. citrà, referendum erat impedimentis litis pendentis, dum, ut advertitur *dicto diſc.* 41. poſtquam Sacra Congregatio favore Epiſcopi de anno 1654. decrevit, ex reſcripto Signaturæ Sanctiſſimi de anno 1655. demandata fuit reviſio, non proſecuta ob vacationem ſedis Epiſcopalis, aliaque impedimenta; Et quamvis iſto etiam tempore ſubducto, adhuc à dicto anno 1575. ad annum 1651. adeſſet longævum ſpatium annorum 75. & ſic aptum inducere quadragenariam, quæ dato titulo etiam putativo æquipollet centenariæ, atque dicitur legitima præſcriptio, etiam in iis, quæ ſunt contra jus, ut habetur in Toletana *diſc.* 1. & in aliis frequenter; Nihilominus facilis videbatur reſponſio, pluries *hoc eodem tit.* pariter deducta, quod ſcilicet ob decretum irritans, & clauſulam *ſublata*, quæ continentur in Conſtitutione Pii IV. edita ſuper confirmatione, & publicatione Concilii, infecta remanet quæcumque contraria poſſeſſio, qua ceſſante dari non poteſt præſcriptio, vel conſuetudo, quæ ita impeditur, ne oriatur, ut in terminis ſpecialibus obſervantiæ decreti Sac. Concil. Trident. advertitur in Alerien. Vica-
8 riæ 26. Junii 1654. Bichio, & frequenter, occaſione concurſus affirmativi, vel negativi in parochialibus, vel Vicariis: Et generaliter circa operationem dictarum clauſularum plenè in Ceſenaten., ſeu Sarſenaten. Laudemiorum coram Ghislerio, *deciſ.* 400. *part.* 9. *recent.* & latius in eadem coram Albergato *deciſ.* 35. *poſt colluctat. Bondeni*; Ac etiam quia negligentia prædeceſſorum præjudicare non debet Eccleſiæ, ac ſucceſſoribus jure proprio independenter venientibus.

Omnes tamen ferè, etiam ex illis, qui neglectis his, &
ſimilibus motivis, ſentiebant pro Epiſcopo, in reſolutio- 9
nem devenerunt, ex ea uſque tunc ignota, & non obſervata facti circumſtantia cujuſdam viſibilis alterationis contentę in ea adnotatione manu Cardinalis Alciati, quam Fagnan. *in cap. de Xenodochiis, de religioſ. dom. num.* 5. ſupponit eſſe reſolutionem Sac. Congregationis, *ut dicto diſc.* 41. quod ſcilicet annus, & dies eſſent diverſi caracteris temporis recentis, ac etiam cum diverſo recenti caractere verbo, *cenſui*, probato in perſona prima, ac denotante, quod eſſet ſimplex votum dicti Cardinalis, addita eſſet litera T. transformans dictum verbum in perſonam tertiam, ac denotans quod eſſet reſolutio Sac. Congregationis; Qua ita ceſſante ſequebatur, reſolutionem potius fuiſſe in contrarium juxtà ſuperiùs enunciatas literas de menſe Maji ejuſdem anni 1575. ipſi Epiſcopo conſcriptas ſuper ejus facultatis incompetentia; Potiſſimè quia in eadem adnotatione Alciati cum diſtinctione, adverſativa *ſed*, continetur relatio ad quoddam aliud ſolitum, quod non reperitur: Sed pariter quamvis iſtud eſſet magnum motivum, non tamen ſolum, & de per ſe videbatur tanti faciendum, quoniam id ſolum operari poterat, ut nulla ratione habita dictæ præſuppoſitæ antiquæ reſolutionis, punctus videndus eſſet ex integro, ut jam demandatum fuit de anno 1653. & cum quo præſuppoſito diſputatum fuit de anno 1654. quando ex integro prodiit reſolutio Epiſcopo favorabilis.

Quamvis autem examinando ſingula fundamenta prædicta, ſingulariter, & de per ſe, in ſenſu etiam veritatis: Mihi relevantia non videretur; Prout & omninò certum videretur, conceſſionem Nicolai V. revera eſſe per ſpeciem gratiæ, & privilegii magis quam contractus, & legis fundationis, perſiſtendo in eadem ſententia, de qua dicto *diſc.*
41. Nihilominus præmiſſis omnibus inſimul, & unitim con- 10
ſideratis, cum conſueta regula, ut ſingula quæ non proſunt &c. illa mihi magnam vim inferebant, unde propterea reſolutio potius probabilis viſa eſt, cum illud ſatis vehemens argumentum *dict. diſc.* 41. cum præſuppoſito dictæ antiquæ declarationis, deductum ex nimia proximitate temporis, quando in Congregatione ſedebant Cardinales, qui in ipſo Concilio intervenerant, ejuſqe mentem callebant, ita retorqueretur. Atque ſubſequuta longæva obſervantia magnifacienda videtur, non tanquam præſcriptiva, ſed tanquam interpretativa, ac probans executionem dictæ antiquæ, & proximæ reſolutionis.

In idem quoque concurrentibus pluribus motivis, ac conſiderationibus prudentialibus, ex quibus, etiam in caſu dubio, ita probabiliter reſpondendum videbatur. Tum ob particulares notabiles hujus facti circumſtantias. Tum etiam ob generalem conſiderationem non retrahendi ſæculares ab hujuſmodi piis operibus, & fundationibus, ſive eorum devotionem, & applicationem non refrigerandi in jam fundatis; Potiſſime quia, citra præjudicium proborum Eccleſiaſticorum, in pleriſque partibus experientia docuit, quod magis fideliter ac diligenter adminiſtrata fuerunt loca pia exiſtentia ſub regimine, & adminiſtratione laicorum, quam ſub immediato regimine eccleſiaſticorum, quamvis id citra eorum culpam caſuali contingentiæ fortè referri quoque poſſit. Habita etiam conſideratione, quod iſti laici adminiſtratores non recuſabant viſitationem, & reviſionem rationum alicujus ex vicinioribus Prælatis per ipsam Sac. Congregationem deputandi, ut ita eadem certificaretur de bona adminiſtratione, quodque hæc reſiſtentia adeo vehemens non fiebat ad effectum effugiendi viſitationem, & redditionem rationum Superiori Eccleſiaſtico, ſed ad conſervationem dictę exemptionis, cum cujus opinione ex illius
populi particulari applicatione, & pietate hoc opus ab exi- 11
guis principiis ad adeo notabilem ſtatum redactum erat, quod pariter fuit magnum motivum reſolutionis, unde propterea tunc etiam determinatum fuit, ad hunc effectum deputari debere Epiſcopum Viglevanen. viciniorem.

Occaſione quoque hujus diſputationis deventum fuit ad notitiam cujuſdam reſolutionis ejuſdem Sac. Congregationis
in una Licien. de anno . . . . . per quam determinavit id, quod 12
cum regulis generalibus, & cum ſola operatione dictionis, *omnino* advertunt *del Bene de immun. Eccleſ. tom.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *ſect.* 11. *n.* 31. & per eadem verba *Paſqualigus reſol. moral.* 189. *n.* 7. quod ſcilicet quamvis per Sac. Conc. *de cap.* 9. exigatur quod expreſsè alias in fundatione cautum ſit, attamen eidem

eidem decreto ſatisfiat, quamvis non expreſsè, & in verbis, ſed per æquipollens de eadem intentione conſtet, Quod mihi probabile videtur, non ex fundamento cui innituntur *del Bene.* & *Paſqualig.* ubi ſupra, ſed ex ea propoſitione, quam ſemper cenſui ante omnia per judices præoculis habendam eſſe, ut ſcilicet in omnibus humanis actibus ac diſpoſitionibus, tam inter vivos, quam per ultimas voluntates non cortex, & figura verborum, ſed ſubſtantia veriſimilis voluntatis magis attendi debeat.

Iſta verò reſolutio cum conſiderationibus de quibus ſupra magis me confirmavit in opinione, quam habui de exorbitantia reſolutionis, de qua in Neapolitana *diſc.* 26. in cujus caſu agitur de lege fundationis adjecta per verum fundatorem per indubitatatam viam contractus; Et quamvis ibi ageretur de Monaſterio monialium, & circa ſolam clauſuram, unde longè diverſa urget ratio, adeout niſi alter ſuperior Eccleſiaſticus adeſſet, ſatis probabilem ac fundatam crederem reſolutionem, Nihilominus dum adeſt alter ſuperior, æqualis ac fortè majoris poteſtatis, qualis eſt Nuntius Sedis Apoſtolicæ, non de facili captivare potui intellectum in præfatæ reſolutionis obſequium.

BAREN. JURISDICTIONIS PRO ARCHIEPISCOPO CUM ARCHIPRESBYTERO OPPIDI AQUÆVIVÆ.

Caſus diſputatus coram Cardinalibus à Sanctiſſimo deputatis, & pendet, ut infra.

De eadem materia, de qua ſupra diſc. 1. cum pluribus ſeqq. ſuper quæſtionibus juriſdictionalibus haberi ſolitis inter Epiſcopos, ſeu Diœceſanos, & Prælatos inferiores, prætendentes habere juriſdictionem ordinariam, ſeu quaſi Epiſcopalem in aliquo loco, ejuſque clero, & populo.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones Rotæ in cauſa,*
3 *De ratione, ob quamcumque aliqua evagatione præter ſtylum plenè univerſa materia reaſſumatur.*
4 *De obligatione Epiſcopi probandi ſituationem loci controverſi in ſua Diœceſi.*
5 *Improbatur, & quod fundata ſit Epiſcopi agentis intentio, non exiſtente alio Epiſcopo in cauſa,*
6 *De probatione d. ſituationis in iſto caſu.*
7 *Damnatur evagatio in ſuperfluis.*
8 *De probatione territorii ſeparati, & Nullius.*
9 *De differentia inter probationem per privilegium, & alteram per immemorabilem.*
10 *An immemorabilis poſſit probari per ſcripturas.*
11 *Quod non deferatur aſſertionibus Epiſcopi.*
12 *De quæſtione cum Prælato inferiori infra Diœceſim,*
13 *Quid cum iſtis Prælatis Concilium Tridentinum innovaverit.*
14 *De caſu præciſo controverſiæ.*
15 *Quando dicatur conſuetudo, & quando præſcriptio,*
16 *Quod præſcriptio raro, vel unquam reducatur ad praxim, & de ratione.*
17 *Qualis fuerit cauſa, vel occaſio abuſuum, & præjudiciorum in Eccleſiis.*
18 *Poſſeſſio, quæ provenit ex facultate, non attenditur, neque eſt apta ad præſcriptionem.*
19 *De conſuetudine illarum partium circa frequentes Epiſcopatus ſine Diœceſi, & circa hujuſmodi diviſionem, vel ſciſſuram juriſdictionis Epiſcopalis.*
20 *De circumſtantia particulari in caſu controverſiæ.*
21 *De operatione poſſeſſionis centenariæ allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem.*
22 *An, & quando facultati obſtet exhibitio tituli,*
23 *De difficultate, quæ in iſta cauſa caderet,*

DISC. XCVI.

1 INcertum eſt ex quo principio Archipresbyter Oppidi Aquævivæ, conſuevit quoddam regimen ſpirituale habere illius cleri, ac reſpectivè populi, non ſolum circa connaturalem ſibi incumbentem curam ſacramentalem, ſed etiam circa curam juriſdictionalem; Atque de anno 1221. quidam Archiepiſcopus per ejus literas agnovit, & declaravit de antiqua conſuetudine favore Archipresbyteri conſtare; Ortiſque poſtmodum controverſiis; atque commiſſa per Sedem Apoſtolicam cauſa Epiſcopo Vigilien. ab iſto de anno 1455. prodiit quædam ſententia præfatarum literarum canonizatoria, ſuper qua ſententia dictæ conſuetudinis approbativa, eodem anno obtenta fuit quædam confirmatio Apoſtolica, fortè per organum Pœnitentiarii, juxta illius temporis ſtylum.

Non acquieſcentibus verò Archiepiſcopis ſucceſſoribus, introductaque propterea lite in Rota, initum fuit compromiſſum in perſonis Cardinalium Sauli, & Pallavicini, qui laudum quoque protulerunt Archipresbytero favorabile, adverſus quod in gradu appellationis, vel reductionis ad arbitrium, introducta denuò cauſa in eadem Rota coram Coccino, infirmato dicto laudo, prodierunt plures reſolutiones Archiepiſcopo favorabiles, reſervatis in poſſeſſorio tantum ad favorem Archipresbyteri quibuſdam actibus minoris ſpheræ, qui Vicario foraneo potius pro frequentiori ſtylo quodammodo competere videntur, ut patet *in deciſ.* 441. 448. 506. & 919. *inter impreſſ. ejuſdem Coccini*; Atque ita lite quieſcente, per longiſſimum tempus pacificè obſervatum fuit.

Cum autem Sede Archiepiſcopali vacante, novus ejuſdem 2 Oppidi Baro, ex dicti Archipresbyteri conſenſu, ſeu licentia, thronum elatum, vulgò baldachinum, in illa Eccleſia Collegiata erexiſſet, hodiernus verò Archiepiſcopus ſucceſſor id impugnaſſet, cum ſubſequuta remotione, ex iis, quæ ſcribendo favore Baronis habentur deducta *in hoc eod. lib. ſub tit. de præeminen. diſc.* 26. In eo intermedio ſpatio litis, idem Archipresbyter Baronis potentia, & aſſiſtentia fretus, antiquas reaſſumendo prætenſiones, quinimò ultra eas fimbrias dilatando, in plenariæ, ac omnimodæ juriſdictionis Epiſcopalis exercitio ſe intruſit, etiam in cauſis matrimonialibus, & criminalibus, ac aliis, quæ poſita etiam tanquam certa ordinaria juriſdictione Prælati inferioris, cadunt ſub juriſdictione, quam Concilium Tridentinum, & Apoſtolicæ Conſtitutiones Epiſcopo, ſeu Diœceſano delegarunt. E converſo autem Archiepiſcopus, ad hujuſmodi intruſionem impediendam, ſuamq; tuendam juriſdictionem ad plures actus proceſſit; Quare reaſſumpta cauſa in eadem Rota coram Priolo in locum Coccini jam defunctis ſubrogato, datoque dubio, an conſtaret de attentatis hinc inde, ſub die 26. Januarii 1671. prodiit reſolutio Archiepiſcopo favorabilis, conſtare ſcilicet de attentatis per Archipresbyterum in decem, & pluribus capitibus, vel ſpeciebus attentatorum, reſervato de aliis videre.

In hoc itaque ſtatu, de utriuſque Partis conſenſu Clemens X. cauſam commiſit doctrina, & probitate nimium qualificatis Cardinalibus Brancaccio, & Odeſcalco, quorum ſecundus hodiè tam dignè Sedem Petri obtinet ſub nomine Innocentii XI. cum facultate procedendi ſummariè, & ſola facti veritate inſpecta, quacumque appellatione remota; Atque aſſumpta coram iſtis Cardinalibus diſputatione, cum Scribentes pro Archipresbytero, pœnè volumina conficien- 3 do, involverent omnia, quæ ſuper hujuſmodi juriſdictionalibus controverſiis inter Epiſcopos, & inferiores Prælatos apud Doctores, & in Rotæ deciſionibus ſcripta habentur, confundendo, ut dici ſolet, triticum, aliaſque fruges, ac etiam paleam, & fœnum; Hinc proindè, eiſdem Cardinalibus deſiderantibus, & laudantibus pro materiæ, atque in ea cadentium æquivocorum dilucidatione opportunum cenſui præter ſtylum, ac genium, per quandam ſpeciem compendii plures inter ſe diverſas reaſſumere quæſtiones, ut ita dignoſceretur, quænam regulæ, vel authoritates congruant, illi caſui, vel quæſtioni, quam diſputari contingat, atque ita evitentur confuſiones, & æquivocorum incurſus, planaque (ut revera eſſe videtur) fiat illa materia, quæ ex quadam communi credulitate involuta reputatur, cum revera non ſit.

Prima igitur quæſtio, quæ in hac materia cadit, ea eſt, quæ controverſi loci ſituationem percutit; quia nempè inferior Prælatus, qui in poſſeſſione ſit juriſdictionis ſpiritualis & quaſi Epiſcopalis in aliquo loco, ejuſque clero, & populo, vicino Epiſcopo prætendenti in eodem loco plenam legem diœceſanam, omnimodamque juriſdictionem Epiſcopalem, ordinariam, & delegatam, vel ſaltim delegatam obiiciat de non ſituatione intra fines ſuæ diœceſis, quodque propterea ſibi tanquam actori incumbat onus id juſtifican- 4 di, cum alias pro reo ſufficiat vincere per non jus: Potiſſimè verò ubi locus ſit in aliqua extremitate, adeout non ſit undique circumdatus à diœceſi Epiſcopi actoris, ſed vigeat poſſibilitas exiſtentiæ intra alias adjacentes diœceſes, juxta firmata in his terminis apud Dunozet. ſen. *deciſ.* 309. cum aliis relatis ſupra *diſc.* 11. & 12. Unde propterea, cum pluries

occaſio dederit more Advocati ſcribere pro hujuſmodi Prælatis inferioribus, ſuper hoc non probato ſituationis præſidio magnam vim conſtituere conſuevi, atque juxta diverſam Judicum capacitatem, non ſemel motivum plauſum habuit, illudque litibus, & cauſis inſenſibilem finem dediſſe videtur, eodem modo quo praxis probat in caſu, de quo apud Dunoz. jun. *deciſ.* 426. & 457. & in eo caſu, de quo ſuprà *d. diſc.* 11. quamvis in eo caſu ego ſcriberem pro Epiſcopo, & in pleriſque aliis.

Verum reflectendo ad veritatem, iſtud confugium inferiorum Prælatorum, alio Epiſcopo viciniore in cauſa non exiſtente, nullius ſoliditatis perpetuò mihi viſum eſt, quodque diſputationis trutina indignum eſſet, tanquam in re habente ſpeciem notorii, ut etiam advertitur *dicto diſcurſ.* 11.

Siquidem, præſuppoſito principio hodiè receptiſſimo, de quo ſupra *diſc.* 1. *& pluribus ſeqq.* quod ſcilicet, juxta opinionem, quam inconcuſsè Romana Curia ſequitur, per Dionyſium primum totus Orbis diviſus eſſet in Diœceſes, cum Epiſcopatibus, & Archiepiſcopatibus, adeout quilibet locus, qualiſqualis ille ſit, ſub aliquo Epiſcopo, vel Archiepiſcopo eſſe debeat, ignoto primitivæ Eccleſiæ iſto uſu hujuſmodi inferiorum Prælatorum, ſeu locorum Nullius Diœceſis; Adeout neque hodie præſumantur, niſi probentur.

Cum hujuſmodi controverſiæ non vigeant inter perſonas privatas, quæ intra alicujus loci lares morentur, adeout aliis adjacentibus Epiſcopis non innoteſcant, ſed in ea Regione, vel Provincia, notorii ſpeciem habere ſoleant; Hinc proinde ſequitur, prorſus improbabile eſſe, quod ſi locus controverſus eſſet in altera Diœceſi, vel quod id cadere poſſet in quæſtione, ille alter Epiſcopus negligeret.

Alia etiam accedente conſideratione, quod ſcilicet, etiam in hujuſmodi locis teritorii verè ſeparati, & Nullius, citra controverſiam per Concilium Trid. quamplures actus demandantur Epiſcopo viciniori, ut occaſione ordinum Sede vacante, vel ad alios effectus advertitur *in adnotationibus* ad idem Concilium, ac etiam *diſc.* 16. *& alibi*. Ut etiam demandatur per Conſtitutiones Apoſtolicas, illam præſertim Gregorii XIV. ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, cum ſimilibus; Et per conſequens ita certificatum remanet, abſque alia probationis neceſſitate, quiſnam ſit ille vicinior, cui magis hæc ſituatio aſſiſtat, ob nimium improbabile ſilentium, & acquieſcentiam aliorum adjacentium Epiſcoporum, qui deſuper intereſſe habere poſſent; Ac propterea admittere in hoc propoſito genericam propoſitionem, de actore non probante, ſeu de reo vincente per non jus, mihi ſemper viſum eſt, ut contineat unam ex ſimplicitatibus, vel ſuperſtitionibus juriſtarum.

Et nihilominus, ubi etiam in ſuis caſibus, hujuſmodi quæſtio diſputationis trutina digna reputanda eſſet; Ea tamen neque imaginariè in præſenti cadebat; Tum quia ſupponebatur ſituatio hujus Oppidi, intra viſcera, ſive in circumdario hujus Diœceſis, non autem in aliqua extremita- 6 te, adeout cadere poſſet præfata dubietas, vel poſſibilitas exiſtentiæ in altera Diœceſi, juxta caſus, de quibus *d. diſc.* 11. & 12. & *in aliis*; Tum etiam clarius, quia eædem ſuperius enunciatæ literæ Archiepiſcopi de anno 1221. & ſententia Epiſcopi Viglien. de anno 1455. ipſaque Apoſtolica confirmatio deſuper obtenta, in quibus iſte prætenſus inferior Prælatus totum fundamentum conſtituebat, id ſupponunt, & comprobant; ut etiam plura alia Alexandri III. aliorumque Pontificum documenta comprobant, ut etiam facit obſervantia à Concilio Tridentino citra, ſuper viſitatione, aliiſque concernentibus ſaltem ab eodem Concilio delegatam juriſdictionem.

Atque hinc ſequebatur ſuperfluam, prorſuſque inanem chartarum repeletionem continere ea, quæ Scribentes pro 7 Archipresbytero plenè conſarcinabant, ſuper concernentibus iſtum punctum, ſeu iſtam quæſtionem, juxta modernorum pragmaticorum vitium, quod redolet deteſtabilem, atque omninò contemptibilem ineptiam, evagandi ſcilicet ſuper iis, quæ à caſu quæſtionis extranea ſunt, nilque ad eam conferunt.

Idem in omnibus cadere dicebam, reſpectu eorum, quæ latius deducebantur ſuper altera quæſtione, quæ ut advertitur ſuprà *diſc.* 1. *& in aliis plurib. ſeqq.* potius facti, quam juris dicenda eſt, ſuper juſtificatione ſcilicet terittorii vere ſeparati, cum qualitate Nullius.

Hodiè ſiquidem juris theorica in abſtracto omninò plana 8 eſt, nullamque admittit quæſtionem, quæ ſola remanet facti, & applicationis, ut ſcilicet iſta qualitas non præſumatur, ſed per allegantem probanda ſit; Iſta verò probatio ad duas tantum ſpecies reſtringitur; Unam ſcilicet per privilegium Apoſtolicum expreſſum, & clarum, ſuper ipſa ſeparatione teritorii, cum conceſſione plenæ, ac omnimodæ quaſi Epiſcopalis juriſdictionis, activæ cum Clero, & populo in eo vivente; Nullatenus curatis Apoſtolicis privilegiis ſuper exemptione à juriſdictione, & poteſtate Diœceſani quantumvis ampla, & effrænata, quoniam ab exemptione, & juriſdictione paſſiva; non infertur ad juriſdictionem activam, & ad territorium ſeparatum; Et altera eſt ſpecies probationis per immemorabilem, benè concluſam, cum ſuis hodiè vulgaribus requiſitis, ante motam litem, cujus tempus eſt ſubducendum.

Cum ea differentia inter unam ſpeciem, & alteram, quod prima, quoties privilegium ſit clarum, & explicitum, fa- 9 cere dicitur probationem promptam, quæ Prælato inferiori ſufficit etiam in judicio poſſeſſorio manutentionis, quod per Epiſcopum intentatum eſſet: Altera verò ſpecies per immemorabilem exigit canonizationem per tres ſententias conformes, interim non retardata Epiſcopi manutentione in poſſeſſione Epiſcopalis juriſdictionis ob aſſiſtentiam juris, quæ in juriſdictionalibus ex quadam ſpecialitate ſola ſufficit, *ut in eadem diſc.* 1. *cum plurib. ſeqq.* firmatur; Et eſt hodiè theorica, ſeu concluſio firma, & recepta; Ac propterea, ut dictum eſt, quæſtiones cadunt ſolum ſuper applicatione ad factum.

Iſta verò applicatio nullatenus in præſenti controverſia cadere poterat, quoniam nullum adeſt Apoſtolicum indultum ſuper ſeparatione territorii, minuſque probatio immemorabilis, tam in actu, quam in potentia, ob certam impoſſibilitatem illam faciendi, ſubducto tempore litis à tempore tam antiquò jam pendentis, ut ſupra.

Neque præfatæ literæ Epiſcopi de anno 1221. ſuper conſuetudine in hoc propoſito aliquam probationem producere poterant; Tum quia illæ percutiunt conſuetudinem exercendi juriſdictionem in aliquibus actibus, vel caſibus particularibus ad terminos text. *in cap. auditis de præſcript.* cum præſuppoſito exiſtentiæ loci intra diœceſim, & per conſequens id potius excludit ſeparationem territorii, & qualitatem nullius.

Tum etiam quia, licet rejecta opinione antiquorum, credentium quod immemorabilis eſſet improbabilis alias, 10 quam per teſtes, non autem per ſcripturas, ex ea ratione, quod ſcripturæ ſupponunt initium, quod eſt immemorabilis deſtructivum, cum probabilius receptum ſit, ut etiam per ſcripturas ea juſtificari poſſit ex firmatis *deciſ.* 168. *part.* 10. *recent.* & habetur pluries ſub diverſis materiis, & præſertim *ſub tit. de jurepatron. diſc.* 57. & 58. cujus materiæ occaſione ſuper rigoroſa forma deſiderata in potentibus, de iſta ſpecie probationis agi contingit, ac etiam *tit. de judic. diſc.* 22. ubi generaliter de materia præſcriptionis; Nihilominus id procedit, quando documenta, quæ canonizant, ſeu enunciant immemorabilem, non ſolum ſint authentica, ſed non ſuſpecta; Puta quia ſint documenta Apoſtolica, de quibus præſertim agitur *deciſ.* 168. *part.* 10. *rec.*, vel ſimilia, quibus eadem congruat ratio; Secus autem ubi (ut in præſenti) agatur de aſſertione Epiſcopi.

Cùm etenim ipſe ſit prohibitus facere hujuſmodi diſmembrationes, vel conceſſiones, utpotè redolentes formalem alienationem bonorum, ac jurium Eccleſiæ etiam ubi de 11 parochialium, aliarumque inferiorum Eccleſiarum diviſione, vel diſmembratione agatur ex iis quæ aliis relatis, habentur apud Otthob. *deciſ.* 6. & *deciſ.* 224. *part.* 10. *cum aliis ſub tit. de alien. & contr. prohib. diſc.* 1. & *ſub tit. de Paroch. diſc.* 35. & *ſub tit. de jurepatron. diſc.* 4. & 11. & alibi pluries; Multò verò magis in iſta graviori materia diſmembrationis, & ſeparationis territorii, ac juriſdictionis Eccleſiæ Cathedralis, cum id privativè ad quemcumque, pertineat ad Pontificem, ut in his terminis apud Duran. *deciſ.* 226. & 446. apud Royas *deciſ.* 211. & advertitur ſuprà, *diſc.* 2. & *in aliis*.

Hinc proindè ſequitur, ut hujuſmodi aſſertionibus nullatenus deferendum ſit, nè id quod eſt directè prohibitum, indirectè ſequatur, atque ita fraus fiat legi, quæ verbis potius, quam rebus impoſita diceretur.

Si etenim in rebus minoris momenti, in quibus licet Epiſcopus non habeat liberam diſpoſitionem; habet tamen competentiam ex juſta cauſa, aliiſque requiſitis accedentibus id deſuper agere, vel operari valeat, ut ſunt diviſiones, diſmembrationes, vel uniones inferiorum Eccleſiarum, vel canonizatio juriſpatronatus, & ſimilia, adhuc eadem procedit concluſio, ut Epiſcopi aſſertionibus aliunde non juſtificatis, non deferatur, ex deductis in locis proximè citatis;

Multò

Multò magis, & abſque dubio, ut præmiſſum eſt, in iſta materia, in qua nullam habet competentiam, nec poteſtatem, dum ſunt actus ſolius Pontificiæ poteſtatis, ut in ſpecie aſſertionum, vel enunciativarum Epiſcoporum, habetur apud Zarat. *deciſ.* 10. *&* 21. *& deciſ.* 440. *part.* 13. *& deciſ.* 21. *part.* 14. *recent. & diſc. ſeq.* in cujus caſu dictæ deciſiones prodierunt.

Dicebantur tamen hæc ad ſuperabundantiam, quoniam admiſſa etiam prædictarum literarum validitate, & efficacia, perindè ac ſi Apoſtolici documenti vim haberent; Adhuc tamen nil concludebatur ad iſtum effectum territorii ſeparati, atque plenariæ, & omnimodæ juriſdictionis cum qualitate Nullius, dum earumdem literarum tenore attento, illa potius excluditur, ſolumq; canonizatur conſuetudo ſuper juriſdictione Prælati inferioris, ſub diverſo diœceſano, & in loco exiſtente intra limites diœceſis, & per conſequens pariter extranea erant, atque ſuperfluam, & inutilem chartarum repletionem continebant ea, quæ deducebantur, hujuſmodi materiam, vel probationem territorii verè ſeparati, cum omnimoda juriſdictione quaſi Epiſcopali percutientia.

Quinimò neque eædem literæ conſuetudinem canonizant ſuper univerſa ordinaria juriſdictione in eo loco, & populo, ejuſque territorio, ſed ſolum ſuper aliquibus actibus, & caſibus particularibus ad terminos, ac materiam text. *in d. c. auditis, de præſcript. de quo ſupra, d. diſc.* 1.

Tertia igitur eſt iſta quæſtio inter Diœceſanum, & inferiorem Prælatum ſuper ordinaria univerſali, vel reſpectivè particulari juriſdictione; in aliquo loco Diœceſis, ejuſque Clero, & populo, adeout præcedentes quæſtiones non ca-
12 dant, ſed ſolum agatur de illis Prælatis, de quibus propriè agit *d. text. in cap. auditis*, ac etiam Conſtitutio Bonifacii VIII. regiſtrata *in cap. cum perſonæ de privil. in 6.* ſuper forma juſtificandi hujuſmodi juriſdictionem, de cujus materia agitur ſupra, *diſc.* 1. Ac etiam agitur per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 20. & in pleriſque aliis locis, in quibus loquitur de Abbatibus, & Archidiaconis, aliiſque Dignitatibus diverſa habentibus vocabula, qui hanc habeant ſpeciem juriſdictionis.

In iſta verò ſpecie quæſtionis, hodie poſt Concilium Tridentinum, duæ intrant inſpectiones: Una ſcilicet ſuper legitima hujus juriſdictionis, & poteſtatis competentia, ſuper
13 qua Concilium nihil innovit, ideoq; proceditur cum terminis generalibus juris communis canonici. Et altera, poſita hujuſmodi legitima poteſtate, ſeu competentia, ſuper ejus moderatione per idem Tridentinum Concilium, & ſubſequutas Apoſtolicas Conſtitutiones inducta, ex illa juriſdictione, & poteſtate delegata, quæ Diœceſanis, ſeu locorum Ordinariis attributa eſt, in cauſis ſcilicet criminalibus, & matrimonialibus, in collatione Ordinum, in concurſu Parochialium, in approbatione Confeſſariorum, & Concionatorum; ac in aliis juxta ea, quæ præſuppoſita iſta ordinaria inferiori juriſdictione, habentur declarata ſupra in *Vulturarien. diſc.* 3. *& in Anglonen. diſc.* 9. *& in aliis pluries, & in adnotationibus ad idem Concilium Tridentinum.*

Sive ubi (ut in præſenti) titulus conceſſionis hujuſmodi inferioris juriſdictionis, non haberet cauſam univerſalem, ſed ſolum particularem reſtrictam ad certos caſus, ultra dictam juriſdictionem delegatam inter alia ordinaria in reliquis caſibus, vel actibus non conceſſis, vel non præſcriptis, juxta terminos, ac materiam *d. text. in cap. auditis*, cum concordantibus *d. diſc.* 1.

Super ſecunda itaque inſpectione juriſdictionis delegatæ per Concilium Tridentinum, & Apoſtolicas Conſtitutiones, nulla cadit quæſtio, cum per idem Concilium, & Conſtitutiones reſpectivè, derogetur quibuſcumque privilegiis, vel conſuetudinibus, aliiſque obſtantiis, ſive quod iſta non ſit derogatio formalis, & omnimoda, ſed conceſſio illius Apoſtolicæ juriſdictionis, & Superioritatis, quam ipſa Apoſtolica Sedes mediantibus ejus Commiſſariis, & delegatis exercere poterat, ac ſolebat.

Et per conſequens (applicando ad rem) ubi etiam, neglectis dictis Rotæ deciſionibus, omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem, ac Diœceſanam, etiam ordinariam Archiepiſcopo deferentibus, atque Archipresbytero denegantibus, procedendum eſſet cum præfatis literis, & cum ſententia Epiſcopi Viglien. earum canonizatoria, juxta omnimodam ejuſdem Archipresbyteri prætenſionem; Adhuc tamen, extra omnem quæſtionem remanet utraq; Archiepiſcopi juriſdictio, ordinaria ſcilicet in aliis caſibus, de quibus dictæ literæ non loquuntur ad terminos *d. tex. in c. auditis*; Et delegata in illis caſibus, & actibus, de quibus loquuntur Concilium, & Apoſtolicæ Conſtitutiones; Ac propterea manifeſtè intruſivam, & temerariam, quæ nullo poſſet velamine offuſcari, dicebam eſſe modernam innovationem, aſſumendi exercitium juriſdictionis delegatæ, ac etiam ordinariæ in caſibus, & actibus, qui extra præfatas literas, & ſententias reſpectivè remanent.

Unicus itaque cauſæ punctus reſtringebatur ad dictam ordinariam particularem juriſdictionem ad certos caſus latiùs reſtrictam, an ſcilicet de ejus legitima competentia 14
conſtaret: Atque in hoc, juxta hactenus deducta, & in allegatis Rotæ deciſionibus coram Coccino firmata, pro Archiepiſcopo probabilius reſpondendum videbatur: Ex duplici namque fonte hujuſmodi juriſdictionis competentia reſultare ſolet, vel ſcilicet ex illo Apoſtolicæ conceſſionis, de cujus efficacia, ejus veritate, ac validitate poſita, non eſt dubitandum, quoniam ſi Pontifice facere poteſt id, quod eſt plus, concedendo ſcilicet ſeparationem territorii cum omnimoda juriſdictione, & poteſtate; Quinimò etiam illum locum decorando cum prærogativa Cathedralitatis, ex deductis *ſub tit. de præemin. diſc.* 6. multò magis concedere poteſt id, quod eſt minus. Vel ex præſcriptione, cujus terminus propriè in præſenti cadit.

Quamvis etenim in hac materia conſuetudinis terminus adhiberi ſoleat; Attamen id ex quodam loquendi uſu potius 15
provenit, quoniam, ut alibi pluries advertitur, conſuetudo propriè cadit in Univerſitatibus plurium perſonarum complexivis, quas omnes pariformiter tangat, coæquali jure tanquam per ſpeciem legis, quæ omnes tangit; Ubi verò agatur de tollendo jus uni, illudque alteri deferendo, tunc præſcriptio, non autem conſuetudo dicitur, quamvis agatur de corporibus univerſalibus, efformantibus unam perſonam formalem, ſeu intellectualem, conſtitutam ex multis perſonis materialibus, putà de una Civitate, vel populo, præſcribente contra alteram, ſive de Capitulo, vel Monaſterio, quinimò de Provincia, vel Regno, aut univerſa Religione, &c. multò verò magis ubi inter ſingulares Dignitates, ſeu Prælaturas, ut advertitur *d. diſc.* 21. *de judic. numer.* 6. ubi de hac materia præſcriptionis, atque pluries aliis relatis firmatur per Rot. & præſertim apud Gregor. & add. *deciſ.* 191. & aliis relatis per add. *ad deciſ.* 20. *part.* 3. *recent.*

Cùm itaque in hac facti ſpecie, nulla deſuper adeſſet Apoſtolica conceſſio: Hinc proindè totum jus hujus Archipreſ- 16
byteri reſtringebatur ad præſcriptionem ſub conſuetudinis vocabulo, ut ſupra impropriè explicatam, cujus præſidium hodie, ut advertitur *d. diſc.* 21. *de judic. & diſc.* 3. *de alienat. & contract. prohib. & alibi*, remanere videtur quodammodò ideale, utpotè nunquam, vel nimium raro ad praxim reducibile, præſertim in hujuſmodi Eccleſiis; Vel quia factum poſitivum, vel negativum cum negligentia, vel permiſſione aliquorum Prælatorum, præjudicare non poſſit ſucceſſoribus ex propria perſona venientibus, ipſique Eccleſiæ, quæ aſſimilatur pupillo viventi ſub Tutore; Vel quia deducere oportcat tempore vacationis Sedis, ac etiam ea tempora, quæ ante Concilium Tridentinum quandam ſpeciem vacationis habere videbantur; Ac propterea multi in Eccleſiis 17
irrepſerunt abuſus, multaque reſultarunt inconvenientia, & præjudicia, quod ſcilicet Eccleſiæ Cathedrales, & Metropolitanæ dabantur in commendam Cardinalibus, & Prælatis, qui à Curia non diſcedendo, eas more prædiorum, ad ſolum fructum, per Vicarios, alioſque inferiores miniſtros adminiſtrabant, ut de Abbatiis, & beneficiis ſimplicibus hodiè fieri praxis docet.

Item fortiùs, quia ex his, quæ habentur ſupra in Tiraſo- 18
nen. *diſc.* 22. poſſeſſio hujuſmodi Archipresbyterorum, aliarumque localium dignitatum, ſeu inferiorum, potius facultativa dicenda videtur juxta authoritates, & deciſiones, quæ in his terminis ſpecialibus habentur deductæ *d. diſ.* 22. *& duobus ſeqq.*

Idque ſi generaliter procedit in omnibus Provinciis, vel Regionibus, facilius dicendum eſt in Italia, atque inter Italiæ provincias, vel Regiones, in illis, quæ hodiè efformant Regnum Neapolitanum, & inter iſtas omnium magis in hac Apuliæ parte, ſeu provincia, in qua in hoc propoſito aliquæ dignoſcuntur ſingularitates exorbitantes, quæ alibi forte non practicantur: Siquidem, ultra incongruam pro- 19
ximitatem trium Metropolitanarum Eccleſiarum, iſtius nempè, ac Tranenſis, & Sypontinæ, quæ omnes extra montes vix unius Cathedralis qualificatam diœceſim conſtituerent: Major dignoſcitur exorbitans ſingularitas, quæ ut advertitur *diſc.* 6. *de præemin. in fin.* & alibi, Græcorum moribus potiùs, quam Romanæ Eccleſiæ authoritati referenda forte videtur, quod ſcilicet quilibet locus, vix unius leucæ, vel parum plus ab alio diſtans, ſuum habeat Epiſcopum, abſque diœceſi, & cum valdè exiguo territorio, adeout Epiſcopi, potius quandam figuram gerere videantur localium Rectorum, ſeu Plebanorum cum uſu pontificalium.

Et quod magis eſt, magiſque ad rem confert; ſive id prodierit ex iiſdem Græcorum moribus pro eo tempore, in quo Canſtantinopolitano Imperatore retinente dominationem iſtarum partium, ad oras maris Adriatici, & Jonii, Conſtantinopolitanus Patriarcha, temerè, ac de facto, in ſpirituali, & Pontificia adminiſtratione ſe ingerebat; Vel quia ſic bellorum, aliorumque accidentium, ac frequentis mutationis dominorum ratio exigeret, in iſta Regione magis, quam alibi dignoſcebantur hujuſmodi Epiſcopalis juriſdictionis diviſiones, ac ſciſſuræ; Siquidem intra Apuliæ brevem ambitum, etiam hodiè de facto dignoſcuntur quamplures Prælati inferiores cum qualitate nullius, in cujus poſſeſſione ſaltim exiſtant: In Oppidis ſcilicet Altamuræ, Terlitii, Putigniani, Faſani, & Cirignolæ, & aderat prius in alio Oppido Rutigliani, ut advertitur ſuprà *diſc.* 2. Atque ut etiam inſinuantur ſuprà *diſc.* 23. in anguſto territorio Archiepiſcopatus Tranen. duo tantùm habente nimium adjacentia Oppida pro diœceſi, Baruli ſcilicet, & Corati, cum ſola diſtintia vix duarum leucarum, nimium plani, & commodi itineris etiam pedeſtris, adhuc tamen, ex Archiepiſcoporum conceſſionibus, vel permiſſionibus, aut quia ſic exigerent illorum temporum calamitates, & contingentiæ, utriuſque Oppidi populus, & Clerus, conſimili antiquæ conſuetudini innixi, prætenſionem habent, ut extra prprior lares trahi non valeant, ibique à proprio Archipresbytero, vel Vicario eorum cauſæ cognoſci debeant, ut etiam *eod. diſc.* 23: agitur de conſimili prætenſione, quam habent quædam Civitati quoq; adjacentia Oppida Metropolitanæ Eccleſiæ Tarentinæ, cum pleriſq; ſimilibus caſibus nimium frequentibus, inter quos admiratione dignus videtur ille recenſitus ſuprà *hoc eod. tit. diſc.* 24. de nimium paupere, & exigua diœceſi Acernen. Et alter de quo plenè agit Campanil. *in diverſor. jur. canonic. rubr.* 11. *cap.* 23. agendo de non minus paupere, & exigua Eccleſia Laquedoneni cujus ipſe fuit Epiſcopus, quod cum univerſa diœceſis conſtituta eſſet ex duobus tantùm adjacentibus obſcuris, & exiguis locis, vix unam competentem plebaniam conſtituere aptis, quilibet ex eis prætendit habere proprium Vicarium, propriumque Tribunal ſeparatum, quo nil abſurdius, tunc etenim ex deductis in d. Tiraſonen. *diſc.* 22. aliqua major facultas in cauſarum deciſione localibus Rectoribus, vel Vicariis (ſemper tamen in figura Vicariorum foraneorum) congruè, ex quadam æquitate concedenda videtur, quando ratio diſtantiæ, aſperitatis, nimiæque populi incommoditatis ita exigat, juxta caſum, de quo in d. Tiraſonen. Secus autem in hac facti ſpecie, quod iſtud Oppidum ipſi Metropoliticæ Civitati nimium adjacet cum ſola diſtantia duarum circiter leucarum plani, nimiumque commodi itineris; Et per conſequens antiqua conſuetudo, vel obſervantia referenda videtur illorum temporum moribus, juxta præfata alia exempla in Regione nimium frequentia, dum in hac eadem diœceſi, alia quoque loca, vel Oppida conſimilem prętenſionem habent, & prȩſertim illud, quod appellatur Caſa maxima, cujus Archipresbyter eadem quoque phręneſi laborat.

Aliqua item ratio, vel circumſtantia pro iſta benevola,
20 & facultativa prętogativa, ſeu commoditate in hoc Oppido Acquęvivę dignoſci videtur, quod ſcilicet, ita docentibus aliquibus traditionibus, & probabilibus argumentis, quando Metropolitana Civitas, tot Saracenorum, vel Schiſmaticorum incurſiones paſſa eſt, ſive inter ipſoſmet Chriſtianos, inteſtinorum bellorum clades, ac propterea Archiepiſcopus in ea reſidere, ac Tribunal erectum habere prohibitus fuerit, in iſto Oppido reſidentiam habuerit, ad inſtar eorum, quę inſinuantur *ſub. tit. de præemin. diſc.* 3. agendo de Eccleſia Cęſarauguſtana; Et per conſequens quod ceſſatis impedimentis, adhuc huic Oppido in memoriam hujus prętogativę, ac etiam benevolę receptionis, & tractationis proprii Paſtoris, in illorum temporum calamitatibus, Archiepiſcopi ex gratitudinis motivo, iſtam benevolam, urbanam tamen, & facultativam conceſſerint, vel permiſerint prętogativam, ne ſcilicet Clerus, & populus, aſſuetus extra lares non trahi, ſed ibi à proprio Archiepiſcopo judicari, in futurum ibidem à proprio Rectore, vel Archipresbytero in aliquibus cauſis, & actibus judicaretur, ſemper tamen facultativo jure, adeout in effectu idem Archipresbyter Vicarii foranei, cum aliqua majori, & extraordinaria juriſdictione, & facultate, perſonam gereret, vel figuram faceret, juxta exempla, de quibus ſuprà, *d. diſc.* 22. *& ſeqq.* Et per conſequens, quod hujuſmodi poſſeſſio, ſeu obſervantia, utpotè facultati ręferibilis, ad legitimam præſcriptionem apta non ęſſet.

Eſt benè verum, quod quando verificabilis eſſet immemorabilis, vel ſaltem centenaria pacifica, & non interdicta, vel contradicta poſſeſſio, tunc illa eſſet nimium conſiderabilis; Non quidem in ratione pręſcriptionis, ad cujus prę-
ſidium recurrere nimium imprudens reputandum eſt conſi- 21
lium, ut pluries alibi advertitur, & pręſertim *d. diſc.* 3. *de alien. & contract. probib. & diſc.* 21. *de jud.* ſed ex altera ibidem inſinuata regula, ſeu concluſione nimium frequenter in omni ferè materia deducta pręſertim *ſub tit. de jurepatr.* ac etiam *ſub altero de feud.* quod ſc. poſſeſſor centenarius facultatem habet allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem, & ſic ipſum Apoſtolicum privilegium, quo accedente, planum eſſet, quod omnes pręmiſſę ceſſarent difficultates, ut in ſpecie advertitur *diſc. ſeq.* ubi de hoc puncto, vel operatione centenarię latiùs.

Et quamvis ſcribendo more Advocati, dicerem quod iſta 22
pręſumptio, vel facultas intrare non poſſet, ſtante titulo infecto, & vitioſo, cui Archipresbyter innitebatur, dictarum ſc. literarum Archiepiſcopi de an. 1221. ac propterea intraret una de duabus concluſionibus. vel ſc. illa, quæ vulgò tribuitur Gemin. *conſ.* 96. ut retinens apud ſe titulum infectum, per illum in mala fide conſtituatur, ac propterea nullum temporis ſpatium ei ſuffragari valeat; Vel altera deducta ex theorica Innoc. *in c. dudum de demic.* ut ſc. exhibitio tituli, de cujus irrelevantia conſtet, excludat poſſibilitatem alterius tituli melioris, ex deduct. *ſub tit. de Regal. diſc.* 47. Attamen reflectendo ad veritatem, agnoſcebam hujuſmodi obiectum non ſubſiſtere, dictaſque concluſiones non intrare; Tum quia difficile eſt illas, & præſertim ſecundam ad praxim reduci ob tot requiſita deſiderata in tituli productione, vel exhibitione, ut hujuſmodi reſtrictionis præjudicialem effectum operetur, juxtà *conſ.* 94. Lanarii, *& dec.* 218. *p.* 6. *&* 29. *p.* 7. *rec. cum aliis, d. diſc.* 47. *de regal. & diſc.* 3. *& de alien. & contract. probib.* & alibi, & præſertim in Rom. Palatii de Frangipaniis *ſub tit. de emphyt. in ſupplem.* & in Rotæ deciſione in eo caſu ædita 4. Decemb. 1673. coram Rondan. Tum fortius quia dictæ literæ non continent privilegium, vel conceſſionem ipſius Archiepiſcopi, qualis eſt caſus, de quo apud Duran. *d. dec.* 226. *&* 446. & apud Royas *dec.* 211. *& ſupra diſc.* 2. Ac propterea dici poſſet, quod conſtaret incontinenti de infectione (quod tamen neque omninò tutum eſſet, cum poſita centenaria, allegari poſſet ejuſdem conceſſionis confirmatio Apoſtolica) ſed continet ſolùm antiquæ conſuetudinis declarationem, ſeu canonizationem, & ſic per viam juſtitiæ potius, quam gratiæ, eo modo, quo in materia juriſpatronatus habemus.

Verum difficultas tolli videbatur ex facto, quod ſc. ob antiquas lites, juxta pręmiſſam facti ſeriem non verificaretur centenaria pacifica, ex qua ad hujuſmodi effectum, vel operationem inferri poſſet; Adhuc tamen, reflectendo ad veritatem, reſpectu aliquorum actuum particularium, qui non docebantur contradicti, aliquam habebam difficultatem, ob diſpoſitionem tex. *in c. auditis, de præſcript.* ex eiſdem ponderationibus, de quibus ſuprà, *d. diſc.* 1.

BENEVENTANA JURISDICTIONIS PRO ARCHIDIAC. ECCLESIÆ METROPOLITANÆ CUM ARCHIEPISCOPO

Caſus deciſus per Rotam pro Archiepiſcopo, & pendet.

De eadem materia, de qua diſc. præc. ſuper territorio ſeparato Prælati inferioris, & plena juriſdictione Epiſcopali; Et quid in hoc operetur centenaria, vel quadragenaria cum titulo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti ſeries cum deciſionibus.*
2 *Quod iſtæ quæſtiones ſint hodie potius facti quam juris.*
3 *De ſituatione in Diœceſi.*
4 *Civitas & omnia loca Diœceſis efformant unum, & idem territorium, unumque corpus individuum ſine interſecatione aliorum corporum.*
5 *De Epiſcopatibus habentibus loca, & Eccleſias cum dicta interſecatione, & qua ratione.*
6 *De unione plurium Diœceſum, & diverſis unionis ſpeciebus.*

7 De

7 *De inſpectione facti, an adeſſet; necne centenaria.*
8 *Quod centenaria præſcriptio ad id non ſufficiat.*
9 *Aliud eſt conſiderare centenariam in ratione præſcriptionis, & aliud in ratione facultatis allegandi titulum meliorem.*
10 *De ratione, ob quam immemorabilis ſuffragetur, & de differentia inter immemorabilem, & centenariam, diverſiſque centenariæ ſpeciebus, & de initio.*
11 *De operatione decreti irritantis.*
12 *Quænam ſit major, an centenaria, vel immemorabilis.*
13 *De ratione ob quam non de facili verificatur in hac materia territorii ſeparati probatio præſumpta, quæ reſultat ab antiqua poſſeſſione.*
14 *Quod iſta ſit quæſtio facti.*
15 *De adminiculis, & argumentis comprobantibus poſſeſſionem Prælati.*
16 *Quod confeſſiones Epiſcopi in hac materia attendantur.*
17 *Declaratur quando, & quomodo attendantur.*
18 *De aliis adminiculis, & argumentis.*
19 *De juriſdictione cumulativa Prælati inferioris, & compatibili cum illa ordinarii, ad terminos text. in c. auditis.*
20 *Quod iſta juriſdictio non adeo præjudicet Eccleſiæ.*
21 *Reus poteſt cumulare plures exceptiones diverſas, imò contrarias.*
22 *An & quando mala fides adſit, quæ obſtet præſcriptioni.*

DISC. XCVII.

1 ARchidiacono Metropolitanæ Eccleſiæ Beneventanæ, ab antiquiſſimo tempore exiſtente in poſſeſſione Prælaturæ, & plenæ quaſi Epiſcopalis juriſdictionis in Caſtris Circelli, Pagani, Collis, Forcellati, Montis Irſini, S. Angeli, & Roccatellæ, quamdam ſpeciem Archidiaconalis Diœceſis conſtituentibus; In earumque Cleris, & populis, Archiepiſcopus, circa ann. 1650. cum præſuppoſito, quod ea ſit eſſent in ſua Diœceſi, prætenſionem excitavit, ordinariam juriſdictionem, ac diœceſanam legem exercere, vel ſaltem delegatam per Conc. Triden. & Apoſtolicas Conſtitutiones, introductaque cauſa in Rota coram Zarata, me in ea non ſcribente, ſub diebus 13. Maii 1652. & 27. Januarii 1653. prodierunt reſolutiones Archiepiſcopo favorabiles, quæ habentur impreſſæ inter illas Zaratæ *dec.* 10. & 21. & quarum poſterior eſt repetita *dec.* 304. *p.* 11. *recent.* atque ad earum normam expedita ſententia, iſta per alias duas etiam Rotales coram Cerro, & Taja, confirmata fuit, atque deciſiones coram Taja, habentur impreſſæ *dec.* 440. *part.* 13. *recent.* & *dec.* 21. *part.* 14. quamvis iſtæ ſint potiùs ſuper articulo diverſo præſcriptionis ſcilicet juriſdictionis ordinariæ, ad terminos tex. *in cap. auditis, de præſcript. ut infra.*

In hoc autem ſtatu per modernum Archidiaconum noviter proviſum per mortem prædeceſſoris, cum quo præmiſſus litis curſus habitus fuit, ad hujus penè mortuæ, atque ut dici ſolet, quatriduanæ cauſæ defenſionem aſſumptus fuit, poſt ſcilicet tres conformes Rotales, Cumque jam paratæ eſſent informantes pro nova diſputatione, ſuper dictarum ſententiarum juſtitia, vel injuſtitia, ſuperventa vacatio Sedis Archiepiſcopalis per mortem Archiepiſcopi impedimentum præſtiti, atque in hoc ſtatu cauſa reperitur.

Recognitis itaque deciſionibus deſuper editis, & præſertim primis coram Zarata, cum quibus aliæ ſequentes proce-
2 dunt, dicebam, tam in quodam congreſſu pro directione, quàm ſcribendo ad cauſam, quod quæſtio reſtringebatur ad ſolum factum, cujus potius quam juris erat, dum ex inſinuatis *diſc. præc.* juris theoricæ, vel regulæ jam videntur hodie planæ effectæ, nullam, vel modicam admittentes diſputationem; Primò nempe ſuper facto ſituationis locorum intra hujus Diœceſis limites, ut in deciſionibus præſupponitur; Et ſecundò, an verificaretur centenaria pacifica poſſeſſio Archidiaconi in plena, & omnimoda quaſi Epiſcopali juriſdictione independenter ab Archiepiſcopo, quod pariter nudi facti erat, ſuper præſuppoſita ſc. non veritate illorum actuum juriſdictionalium, quod deciſiones præſupponunt per Archiepiſcopum exercitos fuiſſe; Remanente ſolùm quæſtione juris ſuper centenariæ operatione in hac materia quatenus ejus probatio adeſſet; Ubi etenim in facto verificaretur dicta ſituatio intra Diœceſim, atque ceſſaret ſufficiens probatio dictæ centenariæ pacificæ, per nullum actum interruptæ, tunc in congreſſu ad veritatem dicebam, quod opus eſſet deſperatum ſaltem circa juriſdictionem delegatam, quodque ſolum aſſumi poſſet punctus juriſdictionis ordinariæ univerſalis, vel particularis, ad terminos tex. *in cap. auditis, de præſcript.* dum hic punctus remanebat novus, ac indeciſus, cum in præfatis deciſionibus ad hanc diſtinctionem non deſcendatur, juxta deducta *diſc. præc.* & *ſupra, diſc.* 1. *cum plurib. ſeqq.*

Quatenus itaque pertinet ad primum punctum ſituationis; Attento præſenti ſtatu de facto hujus Diœceſis, ejus 3
ſituationis probatio eſſe videbatur; Tum ob extrinſecas juſtificationes per teſtes, aliaſque ſpecies, quæ in deciſionibus deducuntur; Tum etiam ob juris præſumptionem, quam alio Epiſcopo non comparente, ſufficere advertitur *eod. diſc. præced.* Quamvis etenim loca controverſa non eſſent in Diœceſis circumdario, ſed in extremitate confinantiæ, cum pluribus Diœceſibus ſuffraganeorum ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ, nempè Vulturar. Larinen. Bojanen. & Guardien. Attamen cum in adeo famoſa lite per diuturnum tempus peracta, atque in ea Provincia ſatis notoria nullus ex prædictis Epiſcopis ſe oppoſuerit, ita de plano tolli videbatur illa contraria poſſibilitas, quæ deſuper conſiderari ſolet.

Hinc proindè totus punctus reſtringebatur ad illam præſuppoſitam facti circumſtantiam, cujus plures antiquæ enunciativæ, aliæque juſtificationes dabantur, & ſuper quibus, non viſis alterius partis reſponſionibus; maturum pro veritate judicium efformare non potui, quod ſc. Oppida Morconi, & Limoſani, quæ cum quibuſdam Caſtris, & locis annexis, intermediant, antiquitus eſſent Civitates habentes proprios Epiſcopos, propriaſque Eccleſias Cathedrales, ac Diœceſes, quodque deindè unita fuerint huic Eccleſiæ Beneventanæ, cujus propterea de facto reputantur Diœceſis.

Iſto enim facti præſuppoſito retento, dicebam quod ita 4
ceſſabat dicta præſumptio, quod iſta Caſtra eſſent in antiqua Diœceſi Beneventana, dum ab ea materialiter ſeparata erant cum intermediatione prædictarum Diœceſum, Morconi, & Limoſani; Siquidem Diœceſis, quæ idem eſt, ac territorium, conſtituit, ſeu efformat ex pluribus locis inhabitatis, intra ejus limites exiſtentibus, cum eorum cleris, & populis, unum & idem individuum territorium, ſeu corpus formale, cum Civitate, in qua ſita eſt Cathedralis, adeout omnia loca Diœceſis dicantur eſſe de territorio Civitatis, vel de ejus diſtrictu, juxtà ea, quæ occaſione diſtrictus Urbis habentur *d. tit. de præem. diſc.* 1. & *tit. de regal. diſc.* 94. Hinc proinde, poſita iſta interſecatione, ſeu intermediatione prædictarum aliarum Diœceſum conſtituentium alia corpora ſeparata, impoſſibile dicebam, quod iſta Caſtra dici poſſent de hac Diœceſi Beneventana; Corpus etenim habet compagem omnium ejus membrorum, quæ participare debeant, & valeant de operationibus cordis, & capitis, ac propterea illa membra, quæ ab ipſo corpore, materialiter, & de facto ſeparata ſint, non amplius dicuntur de illo corpore; ut in his ſpecialibus terminis habetur ſupra in Tiraſonen. *diſc.* 22. in cujus caſu, ut patet ex deciſionibus ſuper eo editis, motivum reputabatur ſolidum, ſed ſublatum fuit ex facto, cum juſtificatione ſc. unitatis, ſeu continuationis territorii, atque ceſſantis omnimodæ intermediationis aliarum Diœceſum, vel territoriorum.

Quamvis etenim quamplura habeantur exempla Eccleſiarum habentium diœceſes interſecatas, quod ſc. una pars ſit in una Regione, & altera in altera, cum omnimoda interme- 5
diatione aliarum Diœceſum, quinimò etiam cum diverſitate Provinciarum, ſeu Metropolitanarum, ut præſertim habemus in Epiſcopatu Campanien. exemplificato *ſub d. tit. de præem. diſc.* 7. quoniam ipſa Civitas Campanien. cum ejus annexis eſt ſub Provincia Salernitana, & altera pars antiquæ dirutæ Civitatis Satrianen. eſt ſub Provincia Conſana, atque in eo caſu, de quo *d. diſc.* 7. una pars eſt ſub Metropolitano, & altera eſt exempta, & immediatè ſubjecta Sedi Apoſtolicæ, cum ſimilibus; Attamen id provenit ex natura unionis æquè principalis, per quam adhuc durant duo corpora perfecta inter ſe diſtincta, duoque diverſa territoria, vel duæ diverſæ Diœceſes, adeout duplex reputetur Epiſcopus formalis, quamvis unus ſit materialis, ex deduct. *eod. diſc.* 7.

Prout etiam, licet detur caſus, quod Eccleſia Cathedralis, vel Metropolitana poſſideat aliquam Eccleſiam intra limites alterius Eccleſiæ, vel Diœceſis, juxta caſum de quo ſuprà *diſc.* 21. Attamen in ea Eccleſia, quę poſſidetur in aliena Diœceſi, conſiderantur Eccleſia poſſeditrix, tanquam ſimplex beneficiatus, vel Rector ſubditus illi Diœceſano, ut *eodem diſc.* 21. advertitur, non autem, ut dici valeat de propria Diœceſi, ejuſque pars, vel membrum, atque ita dicebam tolli principale fundamentum deciſionum.

Verùm reflectendo, deindè maturius ad iſtud motivum, quod primo aſpectu mihi videbatur ſolidum, nimiumque conſiderabile, agnovi, quod eſſet periculoſum; Siquidem ultra difficultates facti ſuper ſufficienti ſc. juſtificatione dict. præſuppoſitæ antiquæ Cathedralitatis Eccleſiarum Murconi, & Limoſani; Quando etiam id admittendum veniret, adhuc tamen non ſolvebatur vis argumenti, ſiquidem ſive unio hujuſmodi Eccleſiarum facta eſſet æquè principaliter, juxtà exemplum ſpeciale Eccleſiæ Cathedralis Maceraten. alias ſuffraganeæ unitæ Eccleſiæ Metropolitanæ Acheruntinæ ex deduct. *ſub tit. de Canon. & Capit. diſc.* 29. & *Miſcell. Eccl. diſc. etiam* 26. Sivè dicenda eſſet ſubjectivè, & per viam incorporationis, ut verius videbatur, ob ſubſequutam obſervantiam, dum iſtæ Eccleſiæ ſede plena, magis verò ea vacante nullum retinuerunt, nec retinet Cathedralitatis ſignum, vel prærogativam, quinimò neque nuncupationem, ſed per plura ſæcula, unica eſt nuncupatio Diœceſis Beneventanæ; Ideòque nil refert, quod iſtorum locorum adjacentia, non verificetur cum antiqua Diœceſi minori, quando dictæ Eccleſiæ Morconi, & Limoſani erant in ſtatu Cathedratico, quoniam ſufficit, eam verificari, cum eo ejuſdem Diœceſis augmento, quod per ſpeciem alluvionis, ex dicta unione contingit; Quinimò ubi etiam dictæ Diœceſes unitæ antiquam retinerent naturam tamquam per ſpeciem unionis æquè principaliter, adhuc idem reſultaret effectus, cùm ex dicta præſcriptione iſte Archiepiſcopus intentionem fundatam haberet, tamquam dd. Diœceſum, vel earum alteriùs Epiſcopus, & per conſequens nullus remanet iſtius ponderationis effectus circa ſituationem.

6 Quo verò ad aliud aſſumptum centenariæ poſſeſſionis, duæ cadebant inſpectiones, una facti, an ſc. verificaretur ſtatus pacificus, exercendi hanc omnimodam Epiſcopalem juriſdictionem in figura Ordinarii habentis territorium verè ſeparatum, per dictum tempus 100. annor. abſque aliquo exercitio juriſdictionis, ſaltem delegatæ in Archiepiſcopo; Et altera, juris, nempè poſito, quod de hoc ſufficienter conſtaret, quid exindè de jure reſultaret, & an iſta centenaria æquipolleret immemorabili, cumdemque produceret effectum.

7 In prima inſpectione nullæ cadere videbantur Juriſtæ partes, cùm totum conſiſteret in nudo facto, in quo ſupponebant agentes pro Archidiacono, quòd nullam ſubſiſtentiam haberent illi actus, qui in cauſæ deciſionibus ad favorem Archiepiſcopi ponderantur, & præſertim in duabus prioribus coram Zarata, quia nempè documenta exhibita, ex quibus illi deducebantur, non eſſent authentica, vel eſſent alterata, ſive continerent actus æquivocos referibiles ad loca diverſa; ſive ad juriſdictionem metropoliticam, aut ad illam delegatam Epiſcopo viciniori, etiam in locis nullius, cum territorio ſeparato, juxtà conſimiles ponderationes in alia Beneventana ſuprà, *diſc.* 12. ideòque ſuper hoc nullum efformari poterat judicium, adhuc non viſis reſponſionibus, quæ adverſus hæc præſuppoſita ex altera parte darentur.

8 Quo verò ad alteram inſpectionem juris, an ſcilicet in hac materia, præſuppoſita centenaria benè juſtificata, illa relevaret, ex prioribus cauſæ deciſionibus cor. Zarata, ſolum prima, quæ eſt *dec.* 10. *inter ſuas nu.* 16. & 17. levi quidem Minerva, in hoc pertranſit, præſupponendo ſc. terminos veræ, ac formalis præſcriptionis, quam firmatur non ſufficere, quaſi quod ſoli immemorabili ad id conceſſum ſit, non autem centenariæ, quæ præſupponit initium, quod contrarium eſt immemorabili, cujus peculiare requiſitum eſt, ut de initio non conſtet, allegando *dec.* 324. *p.* 1. *rec. n.* 11. & *dec.* 218. Royas.

9 In hoc autem, reflectendo etiam ad veritatem, quamvis meum genium, hujuſmodi plenariæ, ac omnimodæ juriſdictioni inferiorum Prælatorum, cum qualitate nullius, potiùs adverſum ſit, reſpectu juriſdictionis delegatæ per Conc. Trid. ut pluries advertitur in præcedentibus, & præſertim *diſc.* 16. & *adnot. diſc.* 12. & *in aliis*; Attamen iſte ſenſus eſt, quoties S. Congr. Concilii, iſtius mentem interpretando, more ſupremi Senatus, vel Principis, potiùs quam Judicis, per tramites juris hujuſmodi Prælatos declararet conciliaribus decretis quoque ſubjectos; Sed ubi in Tribunali judiciario per tramites, & regulas juris punctus eſt examinandus, mihi videbatur, quod reſponſio non ſatisfaceret, ex eiſdem ponderationibus, de quibus præſertim *diſc.* 3. *ſub tit. de alien. & contract. prohib.* & alibi pluries.

Siquidem centenaria poſſeſſio ponderanda non eſt in ratione præſcriptionis, ut præſupponit deciſio, dum ad ejus præſidium recurrere, ſemper malum, atque imprudens eſt conſilium, ut etiam *diſc. præc.* advertitur, ſed in ratione præſumptionis, ſeu facultatis allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem, & ſic etiam privilegium Apoſtolicum, quod non dubitatur ad id ſufficere, ideòque magna dignoſcitur differentia inter unam, & alteram viam, ut etiam advertitur *diſc.* 21. *de jud.* Nullus etenim Canon, nullumque conciliare decretum diſponit, quod immemorabilis apta ſit inducere territorium ſeparatum, quaſi quod ſit ſpeciale privilegium per legem illi attributum, ut propterea, juxta privilegiorum naturam, ſeu regulam pati non debeat extenſionem, ſed intelligendum ſit in caſu præciſo, de quo loquitur, ſed iſte effectus provenit ex eadem facultate allegandi privilegium, & quemcumque alium titulum de mundo meliorem; Et per conſequens, cùm eadem facultas reſultet à centenaria, idcircò non videtur, quæ differentiæ ratio urgeat, ut una ſpecies in propoſito ſuffragari debeat, & altera non.

Clarum verò æquivocum continere videtur illa differen- 10
tiæ ratio ab aliquibus aſſignari ſolita, ex deduct. *d. diſc.* 3. *de alien.* & in qua dicta prima deciſio figit pedes, quod ſc. centenaria præſupponat initum contrarium, vel diverſum, quoniam id procedit, quando de hoc diverſo, vel contrario initio conſtet, ac etiam copulativè, quod ex parte poſſeſſoris eadem poſſeſſio reſtricta ſit ad certum, & præciſum titulum excluſivum poſſibilitatis tituli melioris, adeout intret ratio ibidem, & alibi frequenter ponderata, quod ſc. iſta poſſibilitas, utpotè continens ſimplicem præſumptionem ceſſet, atque excluſa remaneat per contrariam probationem, etiam præſumptam, ex fortioribus præſumptionibus deductam; Secus autem, ubi nulla tituli reſtrictio adſit, & quod magis eſt, nulla accedat juſtificatio contrarii, vel diverſi ſtatus antecedentis, adeòut ſit probatio affirmativa temporis centenarii, non excluſiva alteriùs temporis majoris præcedentis, cujus nulla, nec affirmativa, nec negativa probatio habeatur, quia nempè omnium memoria perempta, ſtatus rerum incertus remaneat; Multò verò magis, ubi ut infra ejuſdem ſtatus argumenta accedant, quoniam iſta ſpecies centenariæ, potiùs melior videtur, quam immemorabilis, dum certò includit tempus centum annorum, quod immemorabilis poteſt non includere, ſed non excludit tempus magis antiquum, etiam plurium ſæculorum; Atque in hoc verſatur æquivocum aliquorum Scriptorum non diſtinguendi hujuſmodi diverſas ſpecies centenariæ.

Quare ad rem, pro hujuſmodi æquivocis tollendis, pon- 11
derabam in propoſito, plures diſtingui debere caſus, vel hujus centenariæ ſpecies; Primus etenim caſus eſt, ubi cum ſcripturis, juſtificetur quidem pacifica, & continuata poſſeſſio Prælati inferioris, in exercitio plenę, ac omnimodæ Epiſcopalis juriſdictionis, per hoc ſpatium 100. annorum, & ultra, abſque eo, quod non conſtet de aliquo actu juriſdictionali geſto per Epiſcopum, cùm quo ſit quæſtio, ſed quod iſtud tempus ſit ante publicationem Conc. Trid. abſque continuatione in tempore ſubſequenti, in quo Epiſcopus ad ejuſdem Conc. præſcriptum aliquos delegatæ juriſdictionis actus exercuerit; Et tunc centenaria in nihilo ſuffragatur, quoniam ut advertitur ſuprà, *diſc.* 5. & alibi, ſtant benè ſimul, quod Prælatus inferior ante Conc. Trid. ad terminos text. *in c. cum perſonæ, de præſcr. in* 6. non quidem territorialem, ſed in alieno territorio, habeat ſaltem in exercitio, ſi non in habitu, univerſam ſpiritualem, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in aliquo loco, ejuſque Clero, & populo, eodem modo, quo etiam de præſenti Prælati Regulares eam habent cùm Religioſis profeſſis, ac etiam aliis non profeſſis, in quibus verificentur tria requiſita deſiderata per Conſtitut. Gregorii XIII. de quibus ſuprà, *diſc.* 4. quo caſu Conc. prædictum, & Apoſtolicæ Conſtitutiones hanc univerſam juriſdictionem moderarunt in aliquibus caſibus, ſeu in aliquo cauſarum, & negotiorum genere, cùm quodam termino exemptionis conſervativo, Apoſtolicæ ſc. delegationis; Ideòque iſtius centenariæ vigore non competit dicta facultas allegandi privilegium, vel alium titulum.

Alter caſus eſt, ubi accedente centenaria, ſuper exercitio dictæ juriſdictionis univerſalis, etiam poſt Conc. uſque ad tempus litis, etiam in actibus cadentibus ſub juriſdictione, quæ Ordinario delegata fuit, ſed tamen continuatum quoquè fuerit in agnitione ſituationis loci intra Diœceſim, de qua locus enunciatus fuerit; Et tunc pariter centenaria dictam operationem non facit; Atque in his terminis propriè loquitur deciſio in celebri Conſtantien. Juriſdictionis, *de qua dec.* 324. *p.* 1. *rec.* quæ videtur Ordinariorum favore magiſtralis, & Achilles; Atque iſto caſu allegari non poteſt

privilegium Apoſtolicum, ſuper vera ſeparatione territorii, cùm inductione qualitatis nullius, dum ita continuatum eſſe conſtat in ſtatu ſituationis in Diœceſi, ideòque intrat ſolum præſidium præſcriptionis, quod ſuffragari non poteſt ad hunc effectum, propter implicantiam conſideratam *in d.dec.342.nu.11.p.1.rec.* & de qua implicantia habetur pluries ſupra, *ac etiam in tit. de præem. diſc. 2. cum plurib. ſeqq.* dandi ſcilicet plura capita invicem independentia, in uno, eodemque corpore; Ac propterea iſto caſu adhuc dicendus eſt Prælatus inferior in alieno territorio.

Et de conſequenti intrare non poteſt præſcriptio in actibus delegatis Ordinario, ſeu Diœceſano, ob decretum irritans, contentum in Bulla Pii IV. confirmatoria Concilii, & in aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, eandem ordinariam juriſdictionem conferentibus, ob hodie vulgarem, nimiumque frequenter enunciatam præfati decreti irritantis virtutem, & operationem, inficiendi quamcumque contrariam poſſeſſionem, vel obſervantiam, ideòque impediendi præſcriptionis perfectionem, quinimò ſe opponendi ejus initio, ut nunquam incipiat, ob defectum primarii, magiſque ſubſtantialis requiſiti poſſeſſionis, dum ita dicitur eam non adeſſe; Iſtaque eſt vera ratio, ob quam hæc ſpecies centenariæ, non æquipolleat immemorabili, cum dicatur poſſeſſio centenaria imperfecta, & non pacifica, utpotè habens dictam infectivam qualitatem continuationis loci in ſtatu Diœceſano.

12 Tertiùs demum eſt caſus centenariæ veræ, atque in omnibus perfectæ, & continuatæ uſque ad tempus litis, etiam poſt Conc. Quia nempè ille, qui ſe prætendit Diœceſanum intra hoc ſpatium, nullum geſſerit actum juriſdictionis, nec ordinariæ, nec delegatæ; E converſo autem inferior Prælatus, utramque exercuerit, abſque dicta agnitione ſituationis in Diœceſi; Sed potiùs cum actu oppoſito, ſe enunciando ſc. nullius; Iſteque caſus ſubdividitur in duos alios, quorum primus eſt, ubi approbatio affirmativa, per ultimum centenarium ſpatium, non excludat majus ſpatium in tempore antecedenti, de quo non conſtat, nec in bonum, nec in malum, ideòque vigeat poſſibilitas ejuſdem ſtatus; Et ſecundò, ubi conſtet de diverſo, vel contrario ſtatu, de antiquiori tempore.

In primo ſiquidem caſu, nulla cadere videtur probabilis dubitandi ratio, ut iſta ſpecies centenariæ, non quidem in ratione præſcriptionis, ad quam ſemper imprudens conſilium eſt recurrere, ut ſuprà advertitur, ſed in prædicta ratione facultatis allegandi privilegium Apoſtolicum, non ſolum æquipolleat immemorabili, ſed illa major, ac melior cenſenda ſit; Iſtoque caſu verior cenſenda eſt opinio tenentium partem centenariæ in quæſtione enunciata *d. diſc. 3. de alien. & contract. probib.* quæ ſc. ſit major, magiſque privilegiata, an centenaria, vel immemorabilis, dum iſta quoque poſterior ſub priori includi, ſeu contineri dicitur.

13 In altero autem caſu, quod ſcilicet conſtet de diverſo, vel contrario ſtatu, ac propterea verificetur aſſumptum, de quo in dicta hujus cauſæ prima deciſione, quod ſcilicet habeatur initium; Et tunc, in aliis materiis intrat diſtinctio, de qua ſupra, *ac etiam diſc. præc.* & alibi pluries, & præſertim *ſub tit. de regal. diſc. 47. & ſub tit. de emphyt. diſc. 73. Romana Palatii de Frangipaniis, & d. diſc. 3. de alien. & contract. ac etiam ſub tit. de jurepatr. in ſupplem.* An ſcilicet titulus, quod initium præſtat huic poſſeſſioni, præcisè, ac principaliter productus fuerit à poſſeſſore, qui ad illum ſe reſtrinxerit, ac propterea excludatur poſſibilitas tituli melioris; Vel è converſo, quamvis de uno titulo conſtet, infecto, vel inefficaci; non tamen excludatur poſſibilitas ſupervenientiæ alteriùs tituli melioris, ut iſto poſteriori caſu adhuc centenaria eandem habeat virtutem, ſeu faciat operationem concedendi dictam facultatem allegandi alium titulum meliorem, ob non prohibitum de jure diverſorum titulorum cumulum, ſecùs autem in priori caſu reſtrictionis, juxtà plenè deducta *dec. 218. p. 6. & dec. 29. p. 7. rec.* quæ reputatur in materia magiſtralis.

Verùm in iſta ſpecie, ſeu materia territorii ſeparati, nimium dubitari poteſt, an iſta facultas intret, quoniam cum iſta ſit ſolum probatio præſumpta, quæ ſine dubio tolli poteſt, non ſolum per contrariam probationem veram, & expreſſam, ſed etiam per alteram æquè præſumptam, ex fortioribus præſumptionibus deductam; Hinc ad rem magna in contrarium urgere videtur præſumptio, ex Sedis Apoſtolicæ moderna obſervantia, non de facili concedendi hujuſmodi privilegia, ſed nimium raro, atque nonniſi ex magna cauſa, ad magnorum Principum preces, juxta caſus hujuſmodi modernarum conceſſionum, de quibus ſuprà, *diſc. 7. & 8.*

Et fortiùs, quoniam ab iſto lapſu centenarii temporis citra penè impoſſibile videtur hujuſmodi præſumptam probationem, ad praxim deducere poſt reformationem ſc. ſub Pio IV. factam facultatum pœnitentiarii, per cujus organum, vel tribunal priùs de facili ſub nomine Papæ multæ fiebant conceſſiones exorbitantes; Magis verò poſt erectionem tot Congregationum factam per Sixtum V. in ejus Conſt. 74. ex inſinuatis in Relat. Cur. præſertim de Congregatione Conſiſtoriali, in qua prius cum aliqua cauſæ cognitione examinantur, hujuſmodi conceſſiones, vel proviſiones concernentes Diœceſum, vel territoriorum ſeparationem, vel diſmembrationem, aut reſpectivè unionem, atque poſt traditum ab eadem Congreg. votum affirmativè, conceſſio fieri ſolet conſiſtorialiter, ſive alias per literas ſub plumbo, quæ diligenter regiſtrantur, atque à dicto tempore regiſtra, prout etiam acta conſiſtorialia, quinimò, & illa præfatæ Congregationis diligenter aſſervantur in Archivio Apoſtolico; Et conſequenter facilis redditur probatio negativæ, quæ priùs ante excidium Urbis, ac etiam poſteà antequam dicta reformatio ſub Pio V. ſequeretur, erat improbabilis ob poſſibilitatem, quod per diverſa organa actus ſequutus eſſet.

14 Iſtam itaque dicebam videri, veram germanamque hujus materiæ theoricam, quodque propterea quæſtio (ut initio præmiſſum eſt) non ſit juris, ſed facti, & applicationis, de quo ſc. ex dictis caſibus agatur, idque pendet ex ſingulorum caſuum circumſtantiis, ideòque certam non recipit regulam, quod frequentiùs hodiè in forenſibus controverſiis contingit, & per conſequens in hac facti ſpecie maturum judicium efformare non poteram, dum incertum erat, an ſubſiſterent præſuppoſita agentium pro hoc parte Archidiaconi, quod ſc. adeſſet iſta centenaria perfecta, etiam poſt Concilium, uſque ad tempus motæ litis, quodque actus juriſdictionales Archiepiſcopi in deciſionibus præſuppoſiti non haberent facti ſubſiſtentiam.

15 Quando etenim id in facto ſubſiſteret, adeout verſaremur in prima parte tertii caſus, quia nempè adeſſet centenaria pacifica, & perfecta affirmativa, abſque eo, quod conſtaret de anteriori ſtatu diverſo, vel contrario, itaut etiam pro ſæculis antecedentibus vigeat ejuſdem ſtatus poſſibilitas; tunc nimium in idem conferre obſervabam plura argumenta, quæ ex hac parte conſiderabantur, ac etiam cùm authenticis documentis juſtificabantur, iſtam antiquam qualitatem territorii verè ſeparati, ac nullius comprobantia; Primò nempè Conſtitutiones Synodales editæ de anno 1355. & ſic per tria ſæcula ante hanc litem per Archiepiſcopum Petrum de Pino, in quibus enunciatur, quod Archidiaconus habeat ſuam Diœceſim diſtinctam à Diœceſi Archiepiſcopi conſtitutam ex dictis Caſtris, vel locis in quibus Archiepiſcopus non poſſit, nec debeat ſe intromittere, cum Archidiaconus ibi habeat totum jus Epiſcopale; Secundò multi actus juriſdictionales ſpectantes ad juriſdictionem à Concilio delegatam Diœceſano Ordinario in locis exiſtentibus ſub juriſdictione Prælati inferioris, ut ſunt cauſæ criminales, & matrimoniales, obſervationem feſtorum, conceſſiones monitorialium, pro habendis revelationibus, & ſimiles; Tertiò, quòd in Catalogo, ſeu taxa locorum Diœceſis, pro ſubſidio charitativo debito per Diœceſanos facto de anno 1385. per Archiepiſcopum de Aquino iſta loca non leguntur; Et quartò fortiùs ex ſtylo Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ, vel Secretariæ Brevium in literis Apoſtolicis collationis beneficiorum, vel ordinum, aut diſpenſationum matrimonialium reſcribendi huic Archidiacono tanquam proprio Ordinario, quòd practicari non ſolet cùm Prælatis inferioribus in aliena Diœceſi, cùm ſimilibus actibus, aliiſque argumentis, de quibus infra.

16 Et quamvis adverſus hæc, præſertim verò adverſus dictam Conſtitutionem Synodalem, in præfatis cauſæ deciſionibus dupliciter reſpondeatur; Primò nempè de illarum revocatione, ſeu annullatione per Archiepiſcopum Sabellum de anno 1567. Et ſecundò, quod Archiepiſcopus author hujuſmodi Conſtitutionum non poterat, cùm hujuſmodi aſſertione præjudicare, ex ratione, de qua *diſc. præc.* quòd ſcilicet, in prohibitis non defertur aſſertionibus, ne quòd eſt directè prohibitum, ita indirectè ſequatur.

17 Neutra verò hujuſmodi reſponſionum obſtare videbatur, ſiquidem prima ceſſabat ex facto, quod ſcilicet, revocatio dictarum Conſtitutionum non eſſet generalis in omnibus, ſed ſolum in aliquibus partibus, inter quas iſta non legitur; Et quoad alteram, tunc ea rectè procederet, quando in ea principale conſtitueretur fundamentum, atque deduceretur tanquam titulus, vel melior probatio, juxta caſum, de quo *diſc. præc.* Secus autem, ubi conſtituto fundamento in privilegio Apoſtolico, quod in vim centenariæ, ut ſuprà allegare licet, ad corroborationem hujus præſumptionis legalis, aliæ præſumptiones, & adminicula facti cumulentur; Ut in ſpecie hujuſmodi aſſertionum, vel confeſſionum Ordinarii, illas ponderando tanquam unam ex ſpeciebus præſumptionum, & adminiculorum efficacium, ob inveriſimilitudinem, quod contra proprium commodum, & intereſſe factæ ſint, advertitur *ſub tit. de jurepatr. pluries, & præſertim diſc. 56. & 58.*

18 Potiſſimè verò, & fortiùs ubi confeſſio non eſt nuda, ſed veſtita, ſeu corroborata pluribus aliis argumentis, & adminiculis, ut ſupra, ex eo principio, de quo *ſub tit. de jud. diſc. 23. & ſub tit. de dote, diſc. 159. & alibi pluries*, quod etiam in prohibitis Prælati, vel tutoris, aut alteriùs adminiſtratoris, vel principalis alienare, vel præjudicare prohibiti confeſſio adminiculata probat, atque attenditur.

Urgentiſſimum quoque adminiculum, præſuppoſita pacifica poſſeſſione, etiam poſt Concilium continuata, ut ſupra, per annos 86. decurſos inter publicationem Concilii, & litem, reſultare dicebam ab omninò inveriſimili acquieſcentia, & patientia Epiſcoporum pro tempore, dum iſta Eccleſia, quæ eſt ex primariis Italiæ, quinimò Orbis Catholici, & præſertim in amplitudine provinciæ, magnoque viginti quatuor circiter Suffraganeorum numero, in quo fortè in toto Orbe, non habet æqualem, regi, & adminiſtrari conſuevit per inſignes, & qualificatos Cardinales, & Prælatos reſpectivè, inter quos, circa initia ſæculi currentis, plurium annorum ſpatio, illam poſſedit, ac rexit, cùm actuali reſidentia poſt Concilium, in Italia præſertim inconcuſsè obſervata, Cardinalis Arigonius, qui doctus Juris Conſultus prius plurium annorum ſpatio fuit Rotæ Auditor, atque ad Purpuram evectus, erat unus ex Cardinalibus Congregationis Concilii, & conſequenter informatiſſimus de ejuſdem Concilii decretis, quæ ab ipſo initio publicationis Notorii ſpeciem habuerunt apud Epiſcopos, dum ipſimet in Concilio congregati, fuerunt eorum authores, & compilatores; Et eo magis quia Archiepiſcopus Sabellus de anno 1567. & ſic de tempore proximo, infra triennium publicationis, ab eiſdem decretis admonitus, atque pro eorum obſervantia, & exequutione, ſolicitus fuit reformare dictas Synodales Conſtitutiones, per duo ſæcula antecedentia editas, in iis, quæ ejuſdem Concilii decretis, vel ſenſibus adverſarentur; Eo magis iſta veritas comprobari videtur, quod ſcilicet, prorſus inveriſimile ſit, ut hujus omnimodæ juriſdictionis continuatio, cùm lege diœceſana permiſſa non foret, niſi talis eſſet veritas, tunc rectè agnita, & juſtificata, nobis autem nunc ignota ob memoriæ peremptionem ex diuturno tempore reſultantem, per mortem eorum, qui informati erant, Et quæ eſt potiſſima ratio, virtutis, vel operationis, quæ immemorabili, vel centenariæ tribuitur; Ideòque revocatio, vel moderatio hujuſmodi Conſtitutionum, in quibus adeo magnum in deciſionibus, & præſertim ultimis fundamentum conſtituitur, potiùs retorquetur, atque pro adminiculo deſervit.

19 Illo quoque ponderato nimium probabili, & efficaci adminiculo, quod in alia *Beneventana* habetur ſuprà, *diſc. 12.* quod ſcilicet non agitur de inferiori Prælato abſente, qui præſens in loco controverſo, ibique habens, ac exercens dominicalem, & temporalem juriſdictionem, ita paulatim, Archiepiſcopo abſente, & ignaro, ejus Vicariis foraneis, aliiſque inferioribus miniſtris negligentibus, vel contradicere non audentibus, propter potentiam, quam ille Prælatus haberet, ratione dominii, & imperii temporalis, in ſpiritualis quoque Epiſcopalis juriſdictionis poſſeſſione ſe intruſerit, juxtà caſus, de quibus ſuprà, *diſc. 1. cum pluribus ſeqq.* Minùſque agitur de Prælato regulari exempto, aliquos actus explicante in proprio Monaſterio, in quo Ordinarius juriſdictionem non habet, ſed agitur de Prælato poſſidente primam dignitatem, in ipſamet Cathedrali, ſeu Metropolitana, ipſius Archiepiſcopi ſubdito, atque apud eum continuo aſſiſtente; Et quod magis eſt, longo tempore exercente hanc juriſdictionem, non ſolum in faciem ipſius Archiepiſcopi, ejuſque Officialium, cùm eorum poſitiva, & inexcuſabili ſcientia, ſed etiam cum poſitiva approbatione, quod ſcilicet, ipſamet Curia Archiepiſcopalis, proprios Subditos ipſi Archidiacono remiſit pro obſervantia decreti conciliaris *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 20.* Ac etiam carceres, & familiam ei accommodare conſuevit, & fortiùs quia iidem Archiepiſcopi pro tempore, in ordinationibus generalibus iſtorum locorum Clericos ordinarunt, cùm literis dimiſſorialibus Archidiaconi, eo modo, quo ordinarunt Subditos aliorum Epiſcoporum, ideoque ex his omnibus ſimul junctis, nimiùm evidens hujus veritatis probatio reſultare videbatur, quamvis ſingulæ probationes, vel argumenta difficultates pati poſſent; Quoniam cum agatur de facto antiquo, in quo ob peremptam rerum memoriam haberi non valeant illæ diſtinctæ notitiæ, quæ in factis recentibus habentur, ita procedendum eſt, cùm regula, ſeu axiomate, *quod ſingula, quæ non proſunt, &c.* ut in propoſito probationis dominii in antiquis advertitur apud Cavaler. *deciſ. 93. & 201. & alibi frequenter.*

20 In diſputationibus habitis in tertia inſtantia coram Taya coram quo prodierunt præfatæ *deciſ. 440. part. 13. & 21. part. 14. recent.* Cum Scribentes pro Archidiacono prædeceſſore, quorum aliqui ſcripſerant in conſimili controverſia *Toletana*, de qua ſuprà *diſc. 1.* ut ſaltim aliquid obtinerent, atque ita jactura redderetur minor, convolaſſent ad motivum in eodem *diſc. 1.* expenſum, quòd ſcilicèt, ex præmiſſis reſultaret ſaltem preſcriptio juriſdictionis inferioris ſub Epiſcopo, juxtà terminos textus *in c. Auditis de præſcript. cum notatis per Canoniſtas ibidem, & in c. olim eodem tit.* ex allegatis *eod. diſc. 1.* dum ita negari non poterat, adeſſe poſſeſſionem compatibilem cùm actibus, qui præſupponebantur geſti per Archiepiſcopum, utpotè referibilibus ad juriſdictionem delegatam, vel etiam ad eam ordinariam cumulativam, quæ in eodem *cap. Auditis* ponderatur, Quodque præfatæ Conſtitutiones Synodales anni 1355. aliaque plura documenta deſervirent ſaltim pro titulo colorato, vel putativo, qui junctus cum quadragenaria vim centenariæ, ſeù immemorabilis regulariter habere videtur.

Adhuc tamen, ut patet ex eiſdem *dec. 44. part. 13. & 21. part. 14. rec.* motivum rejectum fuit ex duplici fundamento; Primò nempè, quòd cum hactenus Archidiaconus declaraſſet poſſidere hanc juriſdictionem ex jure privativo territorii ſeparati, non poterat nunc convolare ad iſtud diverſum jus cumulativum; Et ſecundò, quod ſtante prædictarum Conſtitutionum Synodalium revocatione, titulus infectus fuerat, ita & taliter, ut in Archidiacono pro tempore inducta eſſet mala fides, quæ præſcriptioni ſe opponit, eamque impedit, quocumque longiſſimo temporis lapſu etiam mille annorum neglecto.

21 Quamvis autem in hujus novæ diſputationis præparatione, determinatum eſſet iſtud motivum negligere, inſiſtendo in altero pinguiori, quod ab initio aſſumptum fuit, juriſdictionis ſcilicet omnimodæ, & privativæ, cùm territorio ſeparato, ut ſuprà; Attamen, in ſenſu etiam veritatis, reflectendo ad iſtas poſteriores deciſiones, mihi videbatur, quod omninò improbabiles eſſent, & quodammodo animoſæ, denegando ſaltem iſtam ſpeciem juriſdictionis, quam idem Concilium non abhorruit, ſed potiùs approbavit, dum ita ceſſant illa inconvenientia, quæ conciliaribus decretis impulſum dederunt, ſuper delegata juriſdictione, in cauſis criminalibus, & matrimonialibus, & ſuper approbatione Confeſſorum, aut Prædicatorum, ac aliis concernentibus curam animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, dum his ſecluſis, in reliquis juriſdictio ſpiritualis, & præſertim in parvis locis (ut alibi advertitur) quodammodo cæremonialis remanere videtur, atque potiùs in hac facti ſpecie redundare videtur in decus, & majeſtatem Eccleſiæ, & Archiepiſcopi, habendi ſcilicet Dignitates hujuſmodi Prælatura decoratas.

22 Et quoad dictas reſponſiones, omninò inſubſiſtens videbatur prima, ex certo juris principio, de quo *ſub tit. de jud. diſc. 8. & alibi pluries*, quòd ſcilicet, in Actore prohibitus eſt cumulus diverſarum actionum, ſecus autem in reo, & poſſeſſore, qui nedum diverſas, ſed etiam contrarias deducere poteſt exceptiones; Ac etiam quia, ut pluries habetur *ſub tit. de benefic. & alibi*, in jure prohibitum non eſt plures cumulare titulos, neque ex eo, quod magis pinguis non admittatur, inferri poteſt ad incompetentiam alteriùs minus pinguis, dum unus non eſt alteriùs omnino deſtructivus, & incompatibilis.

Et quoad alterum motivum malæ fidei, illud quoque videbatur magis improbabile; Tum quia, præfata moderatio Conſtitutionum Synodalium eſt ad alios effectus, ut ſupra; Tum etiam quia, non conſtat de ejuſdem revocationis adeò certa, & poſitiva ſcientia, quæ induceret malam fidem veram, & poſitivam, qualis ad impediendam præſcriptionem requiritur, cùm diſpoſitio juris Canonici fundata ſit in ratione peccati, ideòque circa malam fidem præſumptam incorrecta remanet diſpoſitio juris civilis, ut advertitur *dict. tit. de judic. diſc. 21.* & in aliis locis, ibi inſinuatis;